IN MALACHIAM NOVISSIMVM VETERIS TESTAMENTI Prophetam,

F. Mathurini Quadrati Ebroïci, ſodalitij Franciſcani, Doctoris Pariſienſis

HOMILIÆ,

Quæ multùm eos iuuare poterunt, qui tempore Aduentus Domini in dies ſunt concionaturi.

PARISIIS,
Apud Sebaſtianum Niuellium ſub Ciconiis, via Iacobæa.
1575.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

PRIVILEGII SVMMA.

CArolus IX. Francorum Rex, ſuo diplomate ſanxit, ne quis *In Malachiam nouiſſimum veteris Teſtamenti Prophetã, F. Mathurini Quadrati Ebroici, ſodalitij Franciſcani, Doctoris Pariſienſis Homilias,* ante decennium, à die primæ editionis numerandũ, præter Sebaſtianũ Niuellium bibliopolã, ad eius caſtigationis exemplum imprimat, néve alibi impreſſa diuendat in Galliis. Secus qui faxit, mulcta fiſco applicanda, aliiſque pœnis indictis damnabitur vt latiùs in literis Priuilegij, indultis Lutetiæ 5. Nouembris. 1570.

REVERENDO EBREDVNENSIVM ARCHIEPISCOPO & principi optimo Guillielmo Auanſonio F. Mathurinus Quadratus, S.P.D.

PLVRIMÆ *iuſtiſsimæque occurrebant cauſæ, Antiſtes ornatiſsime, quibus ego adducebar, meas vt tibi potiſsimũ in Malachiam Prophetã lucubrationes ex animo conſecrarem. Ad id enim me cùm vetus illa doctiſsimorum permouebat non reprehendenda (mea quidem ſententia) conſuetudo, qua illi ſuorum ſtudiorum fructus præſulibus ſuis certatim dicarunt: vt vel illos præclaro ſibi aliquo demererentur officio beneficentiſsimóſque ſuorum laborum mœcenates pararent, vel acceptorum beneficiorum gratam aliquam ſignificationẽ animi exhiberent: tum maxime nunquam ſatis laudanda & celebranda illius tui in Chriſtianam religionem flagrantiſsimi zeli memoria quo præſenti ſemper & inuicto animo ſartã tectámque ab omni labe ac pernicie aduerſus omnes giganteos hæreticorum conatus heroicè propugnans, deffendere & conſeruare modis omnibus ſtuduiſti. Niſi enim hæc tua in religionem & pietatẽ ſtudia, tuáque in omnes probos & lit-*

teratos planè diuina merita omni ſtudio, labore & induſtria ornare contenderem, tuis erga me innumeris beneficiis indignus eſſem, & (quod graue ſcelus eſt) debitum veritati teſtimonium iniuſtè denegarem. Ex plurimis enim, quibus præclara tua in rempub. chriſtianam merita & officia, ne dicam omnia (Deum ſiquidẽ potius, quàm hominem eorum teſtem ſemper habere voluiſti) ſed aliqua ex parte nota ſunt, vnum me locupletiſsimũ eſſe verè nunquam nõ profitebor, quem à multis iam annis alumnum tuum & eccleſiaſtem habuiſti. Nobis enim in illa tua Ebredunenſi Eccleſia concionantibus ſingularis illa tua virtus & diuinum ingenij tui lumen apparuit. Etenim totius ferè cum Galliæ noſtræ ciuitates, vrbes, oppida & arces ab hæreticorum fautoribus, coniuratis & perduellionibus aut fraudulẽter occupatæ, aut hoſtiliter hactenus captæ fuerint, tu ſolus in Delphinatu & Alobrogum barbara quõdam regione, Archiepiſcopatum tuum cum toto grege tuo planè fideli & catholico ſaluum & incolumen ſeruaſti, non tam vulgaribus iſtis belli præſidiis & armis, quàm prudentia, conſilio, vigilantia, non tam ferro & igne, quàm placabilitate atque clementia, non tam direptionibus, minis ac terrore, quàm liberalitate, humanitate, morum ſuauitate. Tu hæreticorum fraudes, dolos & technas, omnium virtutum præ-

ſidio & præſtantia non minus ſapiēter, quàm fœliciter eluſiſti. Tu perditorum & impiorum hominum inſidias, conatus & furores concionum frequentia, doctrinæq́; ſanctimonia perfregiſti. Tu patriæ proditorum, ſicariorum, parricidarum ſæuitiam & immanitatem pluſquam barbarā, Cyclopicam & Gyganteam (quæ cum Dei ſacris delubríſque bella geſſerunt) orationum aſſiduitate, morum integritate, ſupplicationum pietate perdomuiſti. Tu templū illud diuæ Virgini ſacrum, miraculorum celebritate præclarum, ab hæreticorum direptione & incēdio integrum, præter omniū opinionē, diuina ſane prærogatiua vindicaſti. Quodquidem mihi veriſsimile non fieret, niſi eximia tua christiani gregis curandi & conſeruandi ſedulitas ac vigilātia in calamitoſiſsima illa malorum omnium coluuie perſpecta & explorata mihi fuiſſet, qua non ſolum in veri præſulis curam toto (quod aiunt) pectore, noctes diéſque incubuiſti, verum etiā quaſi tuis diffidens viribus, ex Lutetiana vrbe optima omnium literarum parente ac virtutū procreatrice, nō mediocribus propoſitis præmiis diuini verbi diſſeminandi, populúmque Chriſtianū inſtruendi cauſa, illuc quot annis eduxiſti præſtantiſsimos in theologia viros: Iacobum Hugonem Vapincenſem quondam Regis Karoli Chriſtianiſſimi grauem eccleſiaſtem, noſtræq́; Franciſcanorū

familiæ decus eximium: Franciſcum Dahy accerrimũ fidei catholicæ propugnatorem: Ludouicum Hebert Niuernenſis principis illuſtriſſimi concionatorem egregiũ: Franciſcũ Feuardētiũ totius antiquitatis & eloquentiæ quaſi theſaurũ: Egidium Gryphium denique illũ theologum numeris omnibus plane abſolutũ. Omitto cæteros, quos nõ tantũ tua Diœceſis, ſed chariſſima etiã patria, & virtutum laude celebratiſſima Gratianopolis, verbi Dei præcones, te authore, & ſuadēte aſſidue habuit, coluit & amauit, pietate & eloquentia præſtantiſſimos, ampliſſimis præmiis & honoribus cumulatos & ornatos ab æquiſſimo ſapientiſſimóq; illius Senatu, & ab illo tuo nunquã ſatis honorifice & pro dignitate laudato, celebratóq; auunculo D. Franciſco Auãſonio Gratianopolis Epiſcopo, ingenuarũ omnium artiũ virtutúmq; præſtantia, eloquentia, & in omnes miſeros & calamitoſos beneficētia clariſſimo. Quinetiam Vapincum tuæ ſacræ ditioni finitiuum, tua prouidentia & Chriſtiana ſolicitudine cõcionatores & doctores theologos permultos præclaros & eximios legandos curaſti, vt quorum animos iam pridē negligentia vel præſulũ perfidia, hæreſeos peſtis corruperat, eoſdē tua vigilantia, per orthodoxos illos pietatis magiſtros, in priſtinã religionis puritatē reuocaret. Quod nunc etiam atque etiam diligenter ac ſtudioſe præſtare

laborat eiuſdem Vapinci maximè Reuerendiſſimus Epiſcopus Chriſtianæ religionis, & pietatis preſes vigilantiſſimus Dominus Petrus Paparinus. Cuiuſquidem optimi Præſulis, maximè vero tui exemplo, commoti omnes Eccleſiæ futuri paſtores, lupos iſtos ab ouibus diligenter arcebunt. Quiſquis enim huiuſce miſerrimi noſtri ſæculi deprauatos mores, & bella pluſquam ciuilia in hiſtoriarum monimẽtis perleget, huic egregia illa tua pietatis cõſtantia quotidie magis effloreſcẽs innoteſcet. Quãdoquidẽ hiſtoria lux eſt veritatis, temporũ teſtis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, virtutũ atq; laudũ fidelis nuntia. Eam ob cauſam nomẽ etiam tuũ vnà cum noſtris in Malachiã breuibus cõmentariis Homi. 21. complexis poſteritati cõmendare volui. Quorũquidem cõmentariorũ edẽdorũ rationẽ, ſtrictim attingã, & ſimul quis fuerit Vates noſter paucis aperiã. Cùm enim diutius in animo verſarem, quibus cum ſeculis noſtrũ conferrem, tandem mihi occurrit Malachiæ vatis infœliciſſima tẽpeſtas, quæ cũ noſtra omnino cõuenire viſa eſt, adeò vt dicerem iuxta Græcũ prouerbiũ πολλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων κύκλόν τινα ὑπάρχειν ὄντα, *ſimúlque rediiſſe, nõ æquiſſima ſaturnia illa & aurea regna, ſed dura, ferrea & inhumana, qualia Malachias olim expertus fuerat. Vt igitur noſtræ ætati infœliciſſimæ, ingratæ, auariciæ inex-*

plebili, fraudi & adulteriis omnino deditæ, atque ei in qua vixit Malachias noſter, per omnia ſimili (vt ex Homiliis noſtris facile colligere licebit) piè inſeruirem ac ſanctè prodeſſem, & homines ad meliorem frugem, ſaniorem mentem & ordinem reuocarē, hoc vaticinium oneroſum, graue & minax populariter interpretandum, illorum more qui ad populum conciones habent, ſuſcepi: Tum vt functioni & prouinciæ meæ ſatisfacerē, tum etiā vt alios, quorum intereſt ex ſuggeſtu populum docere, noſtris commētariis tantiſper iuuare poſſem. Per paucos admodū videbam ſanè, qui hoc interpretandarum ſcripturarum genere apud nos vterentur, cum tamen vix vllum aliud reperiri poſſit, quod ſit vtilius ac conducibilius, tum in moribus componendis, & viris catholicis in vera & ſyncera fide retinendis & confirmandis, tum etiam in hæreſibus confutādis, quæ paſſim per omnes Eccleſias graſſantur. Iſtis igitur & aliis, quas breuitatis ergò prætereo, permotus rationibus, hūc vatem interpretari ſum aggreſſus: Quem Origenes alegoriis nimium addictus Angelum, ductus vt ſuſpicor dictionis Hebreæ ſignificatione, & ſeptuaginta verſione, exiſtimauit: Cum tamen nomina propria Hebræa & Græca in aliam linguam non ſint transferēda prout fert etymon: alias loco Ioſue ſeruatorem, Platonis latum, Ariſtotelis optimum, Athenarum Mineruā diceremus. Propterea D.

Hierony.rectè non minus quàm acutè Angelum non à forma,ſed ab annũciando dici ſcribit. Aliqui Eſdram fuiſſe dixerũt, cum tamen Eſdra nuſquam prophetæ nomine,ſed ſcribæ duntaxat titulo,à ſpiritu ſancto,qui res Eſdræ alias tam diligenter ſcribi voluit,fuerit inſignitus. Quidam Aggeum ex phraſi conie cturã ſumentes & ipſum binominem fuiſſe crediderunt. Alij Zachariam autumant, quem ſacerdotes ob ſuam in dicẽdo libertatem,occiderunt inter tẽplum & altare. Ego vero Epiphanium cum Eccleſia Catholica,quæ Malachiæ librum ab eo qui eſt Zachariæ ſecernit, lubens ſequor: qui de vita Prophetarum ſic ſcribit. Malachias ex tribu Zabulon emicuit, natus perhibetur in Sopha,ob vitæ autẽ qua præditus erat, ſanctimoniam, Malachil (id eſt Angelus) dici cœpit. Ante diem adhuc iuuenis fato functus eſt, iuxtáque maiores ſuos in proprio agello repoſitus eſt. Has igitur,antiſtes optime, ſtudiorum quaſi primitias, quæ in explicando Malachiæ oneroſo ac difficili vaticinio verſantur, vt perhumaniter accipias,& æqui boníque conſulas, te vehementer etiam atque etiam rogo. Faxit Deus opt.max. vt quàm diutiſſimè,& fœliciſſimè inſtaurãdæ pietati,boníſque litteris euehendis, viuas,& quod ſapiẽter inſtituiſti,iam tandem beatiſſimè perficias, vt optimi quique confidenter ſperãt, & vehementer optant. Vale. Lutetiæ Pariſiorum,Nonis Iulij.

Index rerum & verborum inſignium, quæ hoc libro continentur.

A

ABominatio quid deſignat 49.a
Aegyptij quāti olim fecerint ſuos ſacerdotes 18.b
Angelorum conſpectū nemo niſi cum ſtupore ſuſtinere poteſt 64.a
Anglorum inconſtantia 76.a
Animal imperfectū cur vetitū offerri Domino in veteri lege 24.b
Antiſtites mali quomodo tractandi 38.b
Apoſtoli cur ſic vocati 45.b
Arriani nuper nati in Polonia 66.a
Athei qui dicantur 18.a
Atheniēſes libertos ingratos iterùm ſeruituti mancipabant 6.b
Aurum Tholoſanū cur dicatur 78.b

B

Benedictio Dei bona omnia, & maledictio omnia mala complectitur 40.b
Boni & mali iiſdem pœnarū generibus in hoc mundo plectūtur 13.b
Borith, herba fullonum 68.a
Brēnus Gallus, Dei vindictā expertus 78.b

C

Chriſt' diuerſa ſortitur nomina propter effectuū diuerſitatē 68.a
Colligneus Gallorum Thallaſſiarcha, cur morte turpiſſima mulctatus 78.a
Cōiuges repudiātes an nubere poſſint 59.b
Conuerti ad Dominū, opus & gratia Dei eſt 77.a

D

Decimæ ſunt reddendæ 80.b
Decimarū varia genera 79.a
Deus honorādus ex ſubſtantia noſtra, non ex

rapina 36.a
Deus tardèpunit,ſed tarditatem ſupplicij grauitate cõpenſat 61.a
Deus in Eccleſia erudiẽda vti ſolet hominũ opera & miniſterio 4.a
Deus nõ mutatur 75.a
Deus ſemper vſus eſt miniſtrorũ opera. 1.a
Deus quomodo dicatur dilexiſſe Iacob,& odio habuiſſe Eſau. 9.a.b
Deus nõ ſolet beneficia quę contulit hominibus exprobrare, niſi ingrati exiſtant 6.b
Dei præſciẽtia nullã rebus humanis imponit neceſſitatem 10.b
Deo magis grata probitas,quàm ſumptus & impenſa 24.a
Deũ quomodo defatigemus 61.a
Diuitiæ an in Eccleſiis eſſe debeant 82.a
Diuortia cõiugij quare à Moſe permiſſa 60.b
Domini debent ſeruos benignè tractare 17.b
Donatiſtarum error refellitur 27.b
Druides Gallorũ veterũ ſacerdotes prophanos & impios ſacris interdicebant 52.a
E
Eccleſiã catholicã ſemper fore 33.a
Eccleſiaſtæ adulatores cur deſpectui habeãtur 41.a
Edom quomodo interpretatur 14.a
Eli ſacerdos filiorũ vitia diſſimulans, morte mulctatus 39.b
Elias cum Enocho venturus ante iudiciũ 97.a
Epiſcopi debẽt eſſe hoſpitales 82.a
Eſau cur poſtpoſitus Iacob 9.a.& ſeq.
Eſau an fuerit reprobatus ob ſua merita 10.b & 11.a
Euchariſtiæ Sacramẽtũ offerendũ ab ortu Solis ad occaſũ vſq; 30.b & an ſit ſacrificiũ 31.a
F
Facere,ſacrificare ſignificat 31.b

Fortunæ varietas 14.b
G
Germanorum ebrietas 76.a
Gratiam Dei aſpernari non debemus 77.a
H
Hæretici ſolent ſuã hæreſin magnificis & amplißimis titulis tegere 5.a
Hebræi cur Iſraelitæ dicti 5.a
Hebræi relinquentes vxores ſuas, quot modis peccabant 48.b
Hebræorum incredulitas 76.a
Hiſpanorũ tyrãnis ibi.
Hiſtoria quid 15.b
Homines ſolent potius crimen negare, quàm confiteri 22.a
Hypocriſis externa tantũ admiratur 20.a
Hypocritarũ mos 77.b
I
Iacob cur Eſau prælatus 9.a
Improbitas miniſtri nõ officere poteſt dignitati Sacramẽtorũ 27.b
Ioãnes Baptiſta cur ante Chriſtũ miſſus 64.a
Ioannes Hus in Conſtãtiẽſi Synodo hæreſeos damnatus 82.a
Irenæi teſtimonium de auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento 30.b
Iſraëlitę qui dicebantur 5.b
Italorũ veneficia 76.a
Iudicia Dei licet nobis occultiſſima, tamẽ æquiſſima reperiuntur 9.b
Iudicũ animos ſæpè pecunia & amicorũ ſtudio corrũpuntur 71.b
L
Lacedæmones ingratos libertos morte mulctabant 7.a
Legatorum officiũ 6.a
Libellum diuortij cuinam erat liberum ſcribere 60.a
Liberti ingrati morte mulctati apud Lacedęmones, apud Atheniẽſes verò, iterum ſeruituti mancipati 6.b & 7.a

M

Malachias omniũ Prophetarum veteris Teſtamẽti poſtremus 1.b
Malachias diuino afflatus Spiritu, vaticinatus aſt Miſſæ ſacrificiũ offerendũ ab ortu Solis, ad occaſũ vſq; 30.b
Maleficorũ nomine omnes impios in Deum intelligere poſſumus 72.b
Marcus Euãgeliſta à Malachia Propheta Euãgelij ſui ſumpſit exordium 1.b
Martyres ſanguine pro iuſtitia fuſo purgantur 69.b
Matrimonium an ſit Sacramentũ 50.a.b & 51
Menſæ nomine quid ſignificent Hebræi 22.b
Menſa Domini Sacrificium eſt 32.a
Mẽſa Domini quot modis hodie deſpiciatur 23.b
Miniſtri improbitas nõ officit Sacramẽtorum dignitati 27.b
in Miniſtro verbi Dei quid requirat Paulus 16.a
Miniſtri verbi Dei quo pacto debeant docere 1.b
Miniſtri Dei cur tot nũc conuitiis petãtur 39.b
Miniſtri extraordinarij qui ſint 4.b & ordinarij ibid.
Miniſtri verbi Dei quot modis peccent 4.a
Miniſtrorum opera ſemper vſus eſt Deus 1.a
Monachi an poſſint cœlibẽ vouere vitã 37.b
Monaſteriorũ decimæ quibus erogari debeãt 82.b
Mulier cur ex latere potius Adami, quàm ex pedibus formata. 55.b
Μυϛήριον græcè, an tantum ſecretũ latinè ſit interpretandum 50.b

N

Nomen Dei deſpicere, eſt eius gloriam parui facere. 19.b
Nouatianorum hæreſis. 26.a

P

Palatia regum & principum, pauperum ſudoribus conſtruuntur 14.a

Panis nomine apud Hebręos omnia ciborum genera intelliguntur 21.a

Panis quo corpus Chriſti cõficitur, an debeat eſſe azymus, an fermẽtatus 30.a

Paruuli ſacris ſunt initiandi 11.a

Peccare eſt humanum, perſeuerare diabolicũ 25.b

Peccatum nullum eſſe niſi voluntariũ 77.b

Pecuniæ omnia ferè obediunt 71.b

Phariſæi cur ſe iuſtos eſſe arbitrabantur 35.a

Potus nomine Galli omnia quæ menſæ apponi cõſueuerunt, intelligunt 21.a

Præſcientia Dei nullam imponit rebus humanis neceſſitatem 10.b

Procuratores regij cur inſtituti 74.b

Prophetæ duos eſſe Euangelij effectus, reproborũ caſus, & electorum ſalus, demonſtrarunt 67.b

Purgatorium eſſe probatur 69.b & 70.a

S

Sacerdoti an ſatis ſit labiis Deum orare 20.a

Sacerdotes cur ſpeciali nomine filios Dei appellentur 18.a

Sacerdotes ſuos quanti fecerint Aegyptij 18.b

Sacerdotes Chriſtiani duobus modis peccare poſſunt 19.a

Sacerdotũ improbitas non officit Sacramẽtorum dignitati 27.b 28.a

Sacerdotum primitiuæ Eccleſiæ cum noſtris comparatio 45.a

Sacramentarij hæretici 30.b

Sacrificia purè & religiosè celebranda 21.b

Sacrificiorum veteris & noui teſtamẽti diuer-

ſa ratio 27.b
Saducæorum hęreſis & opinio 5.a
Scripta ſanctorum patrũ quomodo reueremur & colimus 76.b
Serui quomodo dominis ſeruire debeãt 17.a.b
Sol omnium motuũ & viciſſitudinum index 33.a
Solon cur in parricidas legẽ non tulerit 17.b
Sterilitas terræ propter noſtra ſcelera immittitur 83.b
Superbia eſt radix, & initium peccati 90.b

T

Timor duplex 17.a
Timor aliquando in literis ſacris religionẽ denotat 43.b
Timor Dei, omniũ virtutum fons & origo 38.b

V

Verbi Dei neglect⁹ quid hac tempeſtate efficiat 2.b
Vitam cœlibem an poſſimus vouere 37.b
Votum quid 36.b & 37.a & quomodo vouendum 37.b
Vxor nõ ancilla, ſed ſocia 55.b

FINIS.

IN MALACHIAM PROPHETAM HOMELIAE, F. Mathurini Quadrati Doctoris Pariſienſis ſodalitij Franciſcani.

HOMILIA PRIMA.

Onus Verbi Domini ad Iſraël, in manu Malachiæ.

DOMINVS Deus in publicis Eccleſiæ functionibus obeundis, miniſtrorum opera, à iactis mūdi fundamentis, ſemper vſus eſt, quorum nonnulli populorum mentes promiſſionibus alliciebant & excitabant, alij verò minis ac terrorib⁹ à fœdiſſimis factis deterrebant & auocabant, prout Eccleſię neceſſarium eſſe Deus opt. Maxi. videbat. Cū verò ipſe tum prophetarum Vaticiniis, tum

diuerſis pœnarum generibus Iſraëlitas ad meliorem frugem toties fruſtra reducere tentaſſet, adhuc Malachiæ omnium prophetarum veteris Inſtrumenti poſtremi, à quo Marcus Euágeliſta ſuæ narrationis Euangelicæ ſumpſit exordium, miniſterio vtitur, qui minaci prophetia Iudæorum ab exilio Babylonico reducum mores corruptiſſimos inſectatur. Eius enim ætatis homines, iis rerum ſtudiis magna ex parte addicti erant, quæ minus honeſta videbãtur. Nam in illo populo maxima vigebat ingratitudo, qua tantorum beneficiorum ingrati ac immemores fuerũt; videlicet, liberationis ab exilio Babylonico, quæ ſub Cyro facta eſt: tum etiam inſtaurationis templi & vrbis ſub Dario. Præterea Dei cultum, religionem & ſanctitatem omnino negligebant, luxuriis nefandiſſimis ſeſe polluebãt, religionem etiam auitam & antiquam pertesi, Deo fruſtra ſeruiri non tantum apud ſe taciti cogitabant, ſed & in vulgus impudenter ita ſpargebant, vt ex ipſorum ſchola innumerabiles athei prodirent, qui religionem vniuerſam flocci facerent.

Quo pacto docentur verbi Dei miniſtri, vt ſuas conciones auditoribus accommo-

dent, itá tamen, vt non adulentur, neque, *Ezech. 13.*
vt in ſcriptura habetur, puluillos illis con- *2. Tim. 4.*
ſuant; ſed cùm opus fuerit, inſtent, oppor-
tunè importunè, obſeçrēt, increpent. Quis
enim Iſraelitas tam longo exilio grauiter
mulctatos & ſeuerè caſtigatos, nec tan-
dem tamen aliquando pœnitentes ac reſi-
pientes, nihilóque meliores & emendatio-
res factos, hac prophetia graui, minaci & a-
cerba dignos eſſe nō iudicaret? Quid enim
illis defuerat, quo minus ad ſaniorem men-
tem reuocarentur, & in officio conti-
nerentur? Lex Dei in ore & manibus om-
nium verſabatur: Veterum prophetarum
vaticinia extabant, quorū fides exilio Ba-
bylonico ſatis probata fuerat. Accedebant
iſtis, fames, vicinorum inſidiæ, & apertæ
hoſtium machinationes; attamen quotidie
in maiora grauioraq; vitia relabebantur, &
omni genere ſcelerum flagitiórúmque cō-
taminabātur, vt poſt Zachariā & Aggeum
ſanctos, graues & ſeueros, prophetas, adhuc
Malachia multo ſæueriore, vehementioré-
que vitiorū cenſore opus ſit, qui eos minas
iactādo, pericula intendēdo, formidines &
terrores damnationis proponendo, totiúſ-
que gētis exiliū minando, & diuinitus præ-

dicando in viam virtutis reuocet. Quemobrē nemini dubium eſſe debet, quin nobis à multis annis afflictis & nondum caſtigatis, graui & minaci prophetia opus ſit, qua pertinacibus & penitere neſciis ſupplicia ęterna denunciētur. Hinc etiā perſpicim⁹ homines ſua natura corruptos & ad omne ſcel⁹ procliues ſeriis pręceptis & cōſiliis, ſeueríſq; admonitionib⁹ indigere, ſi eos velim⁹ in officio cōtinere. Verbi eñ Dei (proh dolor) neglect⁹, hac infelici tēpeſtate efficit, vt tā efferatis perditíſq; morib⁹ plebs Chriſtiana euaſerit. Interim admirabimur Dei opt. max. benignitatem & clementiam erga nos ſingularem, qui cum plagis & verberibus iurè & meritò nobiſcū agere poſſet, verbis dūtaxat & cōminationib⁹ nos monere & corrigere dignatur. Prophetia igitur iſta minax & grauis eſt, vt dictio Hebræa מַשָּׂא, qua vates in inſcriptione vtitur, ſonat. נָשָׂא enim ducit originem, quod ferre, portare & per methaphoram vaticinari ſignificat, propterea quod vaticinium graue pondus ſit & minax: graue quidem, ſi ad vatē referas, & minax ſi ad populum ſpectes. Quotus enim quiſque prophetarum æquis auribus vnquam ab Hæbræis auditus fuit? Iſti ni-

mirum veritatis & virtutis graues & acres ſemper inimici, vniuerſos Verbi diuini ſanctos præcones hoſtiliter & crudeliter perſecuti ſunt, vt & digni à Chriſto cenſerentur, qui de omni ſanguine effuſo, incipiendo ab Abele iuſto vſque ad Zachariam inter templum & aram interfactum, pœnas luere deberent. Quamobrem Hieremias hunc populum immanem, barbarum, duráque ceruice expertus, vaticinij munus perhorreſcens detrectabat, niſi Dominus illi in omnibus ſe præſtò futurum pollicitus fuiſſet. Cùm igitur certò conſtet, Deum prophetis, interpretibus & concionatoribus ſuis nuſquam defuturum, functionem & prouinciam quantumuis difficilem & grauem non recuſare, ſed forti & inuicto animo ſuſcipere ac profiteri debemus, ſi nobis à Deo imponatur, vt & vati noſtro, quemadmodum ex orationis filo videre eſt. *Onus Verbi Dei, &c.* Vates noſter eorum catalogo aſcribi noluit, qui non miſſi currunt, quales Hieremiæ temporibus multi extiterũt, quibus cum grauiſſimè expoſtulat. Similes nouiſſimis temporibus futuros Chriſtus & Apoſtoli prædixerunt, in quos etiam Tertullianus non minus iuſtè

Matth. 23. Luc. 11.

Hier 23. Matth. 24. 1. Tim. 4. 2. P. 3.

Tertull. lib. de præſcrip.

quàm acriter his verbis inuehitur: omnibus in artibus tum liberalibus, tum mechanicis, nemo ſibi & teſtis & profeſſor eſſe poteſt idoneus, quòd omnis profeſſio alterius authoritate probari debet. Vtinam noſtrates diligentius iſthæc animaduertiſſét. Nō enim adeo leuiter credulas aures accōmodaſſent neſcio quibus miniſtris, nuper, aut vt Græci dicunt, χθὲς καὶ πρώην editis in lucē, qui mendaciorum magiſtri à ſeipſis effecti, nullâque manuum impoſitione ſuſcepta, ſuggeſtum imparati, neque vocati, conſcendere vi armata contra fas & ius omne, auſi ſunt, atque loco verbi Dei, ſua ſomnia, quę cum ſuis meretricibus proxima nocte ſomniarent, populo nouitatis cupido impudenter proponere non fuerunt veriti. Prouincia ergo iſta publica (quam λῆμα, id eſt, aſſumptio Septuaginta vocant) à vate noſtro non temere aſſumpta & ſuſcepta eſt; vnde ſuis dictis authoritatem conciliat. Quis enim Deum in legato ſuo audire dedignabitur? Qui Dei legatos & nuncios ſpernunt, Deum mittentem ſpernunt, & qui eos audiunt, Deum ipſum in illis loquentem audiunt. Propterea Samueli ſpreto dicebat Deus, non

1. Reg. 8.

te ſpreuerunt, ſed me: & apud Lucam, qui vos ſpernit, me ſpernit, &c. *Luc.10.*

Silentio interim non prætereundum eſt, quòd hominum opera & miniſterio Deus in Eccleſia erudienda vti ſoleat, quod & ביד ſonat. Angeli enim naturæ purioris & ſimplicioris terruiſſent nos, ſi ad eorum perfectionem minimè pertingere potuiſſemus. In hac etiam præfatione vates ſe miniſtrum tantum & non autorem verbi pronunciat: non enim qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed Deus qui incrementum dat. Biſſariam autem in miniſtris peccari ſolet: quidam enim plus æquo illis tribuentes, Chriſto iniuriam faciunt, quemadmodum Ioannis diſcipuli, qui præceptori ſuo ita addicti erant, vt egrè ferrent, quòd Chriſtus baptizaret, & plures diſcipulos quàm ipſe Ioannes faceret. His proximè accedebant Corinthij, qui pluris Petri, Pauli & Apolo miniſterium faciebant quàm aliorum, qui non tanta authoritate præditi erant in Eccleſia: cùm tamen omnes miniſtri tantum ſint & diſpenſatores miniſteriorũ Dei. Alij verò contrà odio pluſquam vatiniano *1.Cor.3.* *Ioan 3.* *1.Cor.1.*

verbi miniſtros proſequuntur, vt qui eorum peccata & vitia detegunt & carpunt, quæ tecta & ſilentio diſſimulata vellent. Talia enim ſunt mundi opera, quæ ad veritatis lucem prodire renuunt. Sed priuſquam vlterius progrediamur, operæ præcium erit annotare, Deum in miniſtris Eccleſiæ creandis variè ſeſe gerere.

Quoſdam enim ipſemet nullo alio intermedio creat & mittit, quos extraordinarios vocant; & illi miſſionem ſuam miraculis probare ſolent, quibus à Pſeudoprophetis facilè dignoſcuntur; & ideo Tertullianus ſuæ ætatis Hæreticos, qui ſe extraordinariè, veniſſe iactabant, ad miracula prouocabat, quæ nulla efficere poterant, niſi Apoſtolorum miraculis contraria. Nam inquiebat ironicus; Apoſtoli mortuos ſuſcitant, Hæretici autem optimè & rectè valentes interficiunt. Cauendum eſt igitur, ne eos omnes temerè probem⁹ & excipiamus, qui ſe à Deo miſſos prędicant, maximè ſi via non cōſueta & nō ordinaria mittantur. Si verò ordinariè mitterentur, nullis miraculis indigerent, veluti Epiſcopi Apoſtolorū legitimi ſucceſſores, & ceremonia publica creati, vocationē ſuā

Tertull. lib de præſcri.

miraculis probare non tenentur. Sed enim eò redeat vnde digreſſa eſt Oratio, & vltimum inſcriptionis huiuſce prophetiæ Verbum, vt huic concioni finem imponamus, breuiſſima interpretatione perſtringamus. Hoc etenim munus Verbi Dei Malachiæ creditum erat: V t fideliter ad Iſraelem perferret, ne verbis quidẽ immutatis, quicquid in mandatis acceperat. Veteris certè nominis & dignitatis eos admonet, cùm Iſraelitas vocat. Quando enim ſine ſchiſmate & opinionũ in religione diuerſitate coaleſcebant: In vnum Hebræi, iiſdem ſacramentis & ceremoniis vtentes, omnes Iſraelitæ dicebantur. Poſtquam verò & Rege & religione inter ſe ſe diuiſi ſunt, decem tribus, quæ à Roboamo naturali rege defecerant, & ad Ieroboamum conuolarent, Iſraelis nomen retinuerunt, etiamſi ab auita & antiqua verorum Iſraelitarum religione, toto (vt prouerbio fertur) aberrarẽt cœlo. Sed hoc eſt Atheorum & Hæreticorum ingenium, vt cum à vera & Catholica religione defecerint, magnificis & ampliſſimis titulis ſuam peſtilantiſſimam apoſtaſiam tegãt. Huiuſce-rei Saducæi, qui animorũ immortalitatem & mortuorum reſurrectionem *Matt.22.* *Act.23.*

negabant, fidem facient. Nam à עְדָקָה Tſedaca, id eſt iuſtitia, nomenclaturã mutuati ſunt. Huiusfarinæ extiterunt Gnoſtici, Cathari, Apoſtolici, Euangelici, noſtri denique reformati, quippe qui omni genere ſcelerum polluti, pulcherrimos titulos pietatem & ſcientiam ſpirantes, ſibi vendicarunt. Duæ verò aliæ tribus nimirũ Iuda & Beniamin, quæ regem ſuum Salomonis filium ſimul & religionem veterem retinuerant, Iudæ nomine, quod Confeſſorem ſignificat, non ambitioſæ, ſed modeſtæ contentæ fuerunt. Poſt reditum verè ex Babylone, qui redierant, cuiuſcunque eſſent tribus, Iſraelitæ dicebantur. Itaque ad omnes tribus pertinet hæc Prophetia. Quos enim nimia fœlicitas & nomine & religione ſeparauerat, illos exilij tam longa & grauis calamitas iam tãdem ad ſanctam ſocietatem, ſtudiorum & religionis cõiunctionem perduxit. Vtinam Græci tam longo exilio mulctati, & Latini tot & tam ſæuis Hæreticis afflicti, in gratiam, Hebræorũ exemplo redirent, & illo nomine Chriſtiano, Orthodoxo & Catholico verè digni eſſent: ac benè & beatè, charitateque Chriſtiana viuerent, & tandem Dei optimi

maximi conſpectu perfrui poſſent, cui honor & gloria in ſecula ſeculorum Amen.

HOMILIA II.

Dilexi vos, dicit Dominus, & dixiſtis, in quo dilexiſti nos? nonne frater erat Eſau Iacob? Dicit Dominus: & dilexi Iacob, Eſau autem odio habui.

OPortet imperatorum & regum legatos, vt ſuo munere rectè & probè fungantur, ea quæ acceperunt mandata, integra atque incorrupta fide renunciare, diligentérque efficere & perſequi. Cum igitur Prophetæ & Doctores Legati titulo, à Diuo Paulo afficiantur, vatéſque noſter ipſos eo nomine appellare dignetur, oportuit illos populo fideliter proponere, quæ à Deo optimo maximo acceperant. Malachias igitur noſter, ne latum quidem vnguem legationẽ ſuam tranſgrediẽs, nudè, ſimpliciter ac ſincerè Dei verba Iſraelitico populo proponit. *Dilexi vos, &c.* Ingratitudinẽ omniũ in vniuerſum arguit, proptereaquod

à Deo nullis ſuis meritis vehementer amati, maximis beneficiis ornati & cumulati, non ſolum ingrati, ſed etiam impij amantem ipſum, pro dignitate non colebant nec redamabant. σχετλιαστικῶς & commiſeratione motus videtur dixiſſe, *Dilexi vos*, præ dolore ingratitudinem illorum nondum exprimẽs. Non ſolet enim Dominus Deus beneficia ſua, quæ hominibus affluenter
Iac.1. largitur, exprobrare (vt Apoſtolus Iacobus in ſua catholica docet Epiſtola) niſi beneficiorum immemores & ingrati omnino reperiãtur. Propterea Deus olim per Eſaiam, antequam in exilium ventum eſſet, ingratitudinis populum hunc inſimulabat. Filios inquiebat, enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. Et apud alium Prophetam:
Eſa.1. Quidnam debui facere, & non feci? Apoſtoli etiam huiuſce populi ingratitudinem
Act.13. minimè tacuerunt. Oportebat prius vobis (dicebant Paulus & Barnabas) loqui Verbũ Dei, ſed quia reieciſtis illud & indignos vos iudicaſtis vita æterna, ecce tranſimus ad gentes. Athenienſes libertos ſuos (apud quos ingrati actio fuit) ſeruituti iterum mãcipabant, ſi beneficiorum acceptorum immemores herum ſuum deſpexiſſent. Patro-

nus enim manumiſſo dicebat: Abi & eſto ſeruus, quia liber eſſe neſciuiſti. Lacedemones vero ingratos huiuſcemodi morte mul ctabant. Videamus igitur quàm grauibus ſuppliciis digni ſimus, qui poſt tot & tanta beneficia, quæ à Deo quotidię iugiter accipimus, nedũ gratias illi meritas agimus, ſed illum impiis etiam blaſphemiis afficere non ceſſamus. *Dilexi vos.* Hoc perbreui & graui Laconiſmo cuncta benficia, quæ in Iudæos contulerat, complectitur. Acſi diceret; Ex tam parua & ignobili familia in gentem, magnam & nobilem vos creſcere feci. Inter Ægyptios vobis infenſiſſimos quam plurimis diuitiis vos cumulaui. Per deſerta huc & illuc paſſim vagantes & iam fame moribundos mirifica præpotentiaq; manna recreaui. Terram denique lacte & melle fluentẽ vobis poſſidendã tribui. Vos in exiliũ ob ſuperſtitiones veſtras, peccata, & ſcelera relegatos, libertate & patria Donaui, & vobis reipublicæ conſtituendæ poteſtatem feci. Iure igitur & meritò dicere poſſum, quòd dilexerim vos. Hoc pronomen *vos* emphaſim habet. Quamuis Deus nihil eorum, quę fecerit, odio proſequatur, quòd omnia valde bona ſint, ſpeciali tamẽ *Sap.11* *Gen.1.*

& particulari amore eos proſequi dicitur, quos verbo veritatis illuminat, & ſacroſanctis ſacramentis obſignat, quales Iudæi extiterãt. Nobis Gallis hæc meritò obiici poſſunt, nimirũ quibus Euangelium à multis ſeculis cùm per Apoſtolos, tum per apoſtolicos viros prædicatũ eſt, & ſucceſſionis traditione quadam ad nos vſque ſimul cum ſyncero, puro, legitimoq́; ſacramentorũ vſu deuentũ eſt. Non igitur ingrati reſpõſemus cum Hebræis, dicẽtes, *Qua in re dilexiſti nos?* quaſi dicerent, quid nobis feciſti, quod gẽtibus à fœdere tuo, & à vera pietate alienis non feceris? Immo verò ſæuerius erga nos te geſſiſti, quàm erga barbaras & impias nationes, quæ cùm alta pace perfruerentur, nos longo & graui exilio mulctati fuimus. Quod ſi libertatem & pacem nobis obiicias, quæ nam obſecro fuit illa libertas &
1. *Eſd.* 4. pax à Cambyſe & vicinis noſtris toties perturbata, vt in ædificandis ciuitatis muris, cogeremur vna manu arma ferre, altera vero ædificare? Tacemus etiam famem & terræ ſterilitatẽ, quæ nos ita premit, vt ipſum etiam exiliũ multò foret tollerabilius. Hactenus huiuſmodi erant ingratorum iniuſtę voces & querimoniæ, qui Deum omnis

iuſtitiæ parentẽ, tanquã mali autorem iniquiſſimè calumniantes criminabantur, ac ſi ipſi culpa vacaſſent, cùm omni prorſus vitiorum, ſcelerum & flagitiorũ genere polluti & cõtaminati eſſent. Neque Dei optimi maximi manus vindices, quibus à tot & tantis malorum periculis præter omnium expectationẽ liberati fuerant, agnouerunt. Tale quiddã nobis improbis ſępiſſimè accidit, quippe qui ſi qua leuis animi noſtri offenſiuncula contigerit, tunc omniũ beneficiorũ, quæ à Deo accepimus, plenè immemores, ipſum de nobis ſemper optimè meritũ nequiter & impiè accuſare non veremur: atque vt nequam & perditi filij, Patris optimi clementiſſimas caſtigationes, odij erga nos grauioris indicia eſſe impudẽter & improbè cõquerimur. Talis profectò Gedeonis ſuam ſortem & populi deplorãtis ſcribitur querela, Iud.6. Si Dominus nobiſcum eſt inquit, quare inuenerũt nos tot mala? Qui cùm hęc diceret, nihilominus ſatis prudenter cogitabat patris optimi officium eſſe, ſuos caſtigare filios. Vnde Apocal.3. dicitur. Ego quos amo, arguo. Prouerb.3. & Hebræo.12. Quis filius quem non corripit pater? ſi extra diſciplinã eſtis cuius participes facti ſunt omnes, ergo adulteri

& non filij eſtis. Quorſum igitur aduerſus Deum inſurgimus dicentes, *In quo dilexiſti nos?* Nonnę corpus, quo nihil eſt in iſto inferiori mundo ornatius, nihil perfectius; & animum, quo nihil eſt præſtantius, nihilq́; diuinius nobis tribuit? nonne tot tantiſque ſeculorum myriadibus nos vitam deuiam impiámque aliquando perſecutos, tandem corrigere impios errores, turpia vitia, & nefaria flagitia benignè cohortatus fuit? Nonne patientiſſimè nobis pœnitentiæ tẽpus conceſsit? Nonne locum veniæ clemẽtiſsimè condonauit? Nonne nobis omniũ rerum, quas noſtra natura deſiderat, & quę nobis ad victum & cultum neceſſarię ſunt, abundantiam & copiam omni tẽpore ſuppeditauit? Auget autem & grauius reddit peccatum noſtrum inuidentia coniuncta ingratitudini, cùm non ſolum beneficia nobis collata nihili facimus, ſed etiam ſi qua in alios conferantur, moleſtè, grauiter, & acerrimè ferimus: Sic Iudæi in hanc vſque ætatem, non exiſtimantes ſua culpa terram promiſsionis amiſiſſe, clamitãt queribũdi, *In quo dilexiſti nos?* Quibus reſpondet Deus: *Nunquid Eſau frater erat Iacob?* Duorum fratrum exemplo, ex quibus duo maximi populi

puli orti ſunt, axioma ſuum cõfirmat. Hebræi enim Patriarchis Abrahamo & Iacobo quicquid beneficiorum recipiebant acceptum ferebant, quaſi Deus illis propter Patriarchas eſſet obſtrictus. At verò cùm Eſau eſſet filius Iſaaci, & Abrahami nepos, quemadmodum Iacob, ipſiq; fratres vterini, & ex eodem concubitu geniti fuerint, Nonne oportuit Eſauum eodem fauore, ſtudio & beneficentia remunerari, quibus Iacobum Deus benè & liberaliter cumulauit, ſi tantum maiorum merita ſpectare contenditis, à quibus ambo pariter prognati fuerunt? Et tamen *Iacobum* inquit, cum ſuis poſteris *dilexi*; *Eſauum verò* & ſuos *odio habui:* Cuius quidem facti ſi rationẽ preſſiùs quæras, propter quam tandẽ vnus ex duobus iſtis germanis geminíſque fratribus, alteri à Domino Deo prælatus fuerit, nullã prorſus aliam reperies, præter nimirum præpotentem liberamq; Dei voluntatem, quæ cum mortalium nulli planè obſtricta ſit, cùm nulli cuiquam debeat præter damnationem, quoſdam promouet & ditat, vt bonitatis ſuæ diuitias oſtendat, alios verò multò leuius iudicat & punit quàm promeriti fuerint: nemini tamen

Gen. 25. Rom. 9.

Rom. 9. iniuriam faciens. Nam vt ait Paulus, quid ſi volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, pertulit multa lenitate vaſa iræ, coagmentata ad interitum? vt hoc ad debitum iudicium, referatur; aliud verò indebitæ miſericordiæ tribuatur. Quamuis enim iudicia Domini Dei nobis ſint occultiſſima, neque ipſorum vllam ſatis probabilem certámque rationem inueſtigare poſſimus, illa tamē iuſtiſſima ſimul & æquiſſima ſemper comperiuntur. Iacobum igitur vna cum poſteris ab ipſius ſtirpe oriundis ſua gratuita, non merita, ſed indebita miſericordia peculiariq; amore proſecutus eſt, & Eſauum pro eo ac ſua ipſius admiſſa, nepotumque ſuorum mores & vitia digna eſſe videbantur, æquiſſimè odit. Interim Deū odio habuiſſe Eſau, ἀνθρωποπαθῶς dictum puta, id eſt more humano. Cum enim ſcriptura diuina de Deo loquitur, hac phraſi vti cogitur, etiāſi Deus huiuſmodi animi affectibus minime ſit obnoxius. Illud etenim ſatis tritum eſt, Dominum Deum plures amicitiæ & dilectionis effectus erga Iacobum ſuóſque nepotes, quàm erga Eſau & ſuos poſteros plurimis maximiſque rebus oſtendiſſe. Nonne iſta

dilectio effecit, vt Deus pater filium ſuum vnigenitum ex Iacobęa ſtirpe mitteret incarnandum? Nonne ipſamet effectum eſt, vt cùm eſſet Iacobus poſterior, Eſau tamen fratri natu maiori anteponeretur? Dictum eſt illi per Iſáac Gene. 27. Seruiant tibi populi, & adorent te tribus. Eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ, &c. Hæc enim omnia in Chriſto completa ſunt, cui per Apoſtolorum & Apoſtolicorum virorum prædicationem, tot tantiq; populi & nationes, tam barbaræ immaneſque, ſacroſancta & præpotenti veritatis Euangelicæ maieſtate victæ, colla ſubmittentes in deditionem venerunt. Præterea quis ignorare poteſt, maximam ſanctorum Prophetarum multitudinem ex Iacobo ſuam traxiſſe originem? Ego ſum inquiebat Dominus: qui aſcendere vos feci de terra Ægypti, & eduxi vos in deſertum quadraginta annis, vt poſſideretis terram Amorrhæi, & ſuſcitaui de filiis veſtris prophetas, & de iuuenibus veſtris Nazareos, &c. *Amos.*

Aliqui plus æquò curioſi quærunt, an Eſau fuerit ſeruatus nec ne, atque an hæc ſcriptura *Eſau autem odio habui*, de ſpiritali,

an de temporali maledictione pœnaque intelligi debeat. Quibus breuiter reſponderi poteſt de temporali potiſſimum intelligi debere, quādoquidem præſcientia Dei nullam rebus humanis imponat neceſſitatem, quod etiam ipſe Ariſtoteles aliiq; Philoſophi probè nouerunt. Verùtamen ire inficias nollem Eſau, nō quidem præſcientia & præſentione diuina, immo verò ob ſua ipſius ſcelera reprobatū fuiſſe. Nam primogenitură, cui ſacerdotium ſacroſanctū annexum erat, non ſine ſymoniæ nota, prophanus vnico viliq; lentium ædulio alteri vēdidit. Adhęc fratri ſuo Iacobo crudeliter minitatus fuit mortē, quumprimùm dies luctus patris ſui elapſi eſſent. Parentes etiam ſuos impiè contempſit, quando ipſis inuitiſſimis vxores externas & alterius gētis ac religionis duxit. Terram promiſſam pro nihilo habuit, in qua verus purúſque Dei cultus viguit, malens vt erat venationi deditus, montes furibus, latronibus & plagiariis aptos incollere, quàm Dei veriſſimis & certiſſimis promiſſis credere. Propterea tot tantíſque flagitiis effecit, (ceu dicit Apoſtolus Hebræorum decimo ſecundo. Vt pœnitentiæ locum non inuene-

Gen. 25. *Heb. 12.* *Gen. 27.*

rit, quamuis etiam atque etiam vehementer & cum lachrymis benedictionem petierit. Quòd ſi illud odium, quo Dominus Deus odiit Eſau, & dilectio qua Iacobum proſecutus eſt, de reprobatione vnius & alterius prædeſtinatione intelligerentur, fruſtra & abs re Iſaac & Rebeca duos ſuos paruulos, fruſtra inauguraſſe viderentur, cum priuſquam naſcerentur huiuſce odij & dilectionis, oraculo facti fuiſſent certiores. Nihilominus Circuncisionis ſacramento pij & fideles parẽtes vtrumque, die octauo inſigniuerunt. Ex quibus duo colligere licet, nimirum paruulos ſacris initiandos, & eos ipſos originis peccato infici, etiamſi à fidelibus ſint prognati. Nunquid Chriſtus apud Matheum clamat ad tales paruulos pertinere regnum cœlorum? Nonne Apoſtolus Stephanæ familiam ſacro baptiſmo tinxit, in qua quidem paruulos fuiſſe facile colligi poteſt, quos etiam originis peccatum contrahere ſatis ſuperq; ex eodem Apoſtolo conſtat, qui omnes ſub peccato eſſe, & iræ filios naſci conſtanter aſſerit. Et illud multis rationibus probat Auguſtinus contra Pelagianos, cuius verba recenſere non

Gen. 25. *Mat. 19.* *1. Cor. 1.* *Ro. 3 & 5.* *Aug. tom. 2. in fine: epiſtol. ad Marcellinũ*

grauabor. Hi qui quærunt, quo modo peccatum, quod mundatur per baptiſmum, maneat in eis, quos genuerint baptiſati, vellem illi explicarent quomodo præputium, quod per Circunciſionem aufertur, maneat in eis, quos genuerunt circunciſi: quo modò etiam palea, quæ opere humano tanta diligentia ſeparatur, maneat in fructu, quòd è purgato tritico naſcitur. Sine dubitatione tenendum eſt, quæcunque illa ſanctificatio, de qua Apo-
1.*Cor.* 7. ſtolus loquitur. 1. Cor. 7. non valere ad Chriſtianos faciẽdos. Hæc Auguſtinus, cui
Tert. lib. de Anima. Tertullianus adſtipulatur, illud Apoſtoli pertractans in libro de anima. Ex iis igitur ſcripturis & patrum veterum interpretatione, conſtat paruulos fidelium & peccatum contrahere, & ſacris fore initiandos: quod quidem obſeruaſſe videntur Iſaacus & Rebecca circa duos ſuos filios, etiamſi ex oraculo ſcirent vnum à Deo dilectum, alterum verò odio habitum. Quamquidem hiſtoriam Paulus altè cõſiderans, coactus eſt dicere cum vehementi exclamatio-
Rom. 9. ne, O altitudo diuitiarum ſcientiæ & ſapientiæ Dei, quàm incomprehẽſibilia ſunt iudicia Dei, &c.

Illo enim Apoſtoli epiphonemate nõ modo eſſe contenti, ſed melius nihil quærere debemus, immò verò Deum ipſum collaudare, qui cùm adhuc peccatores eſſemus, dilexit nos in dilecto filio ſuo, cui laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum Amen.

HOMILIA 3.

Et poſui Seir montes eius in ſolitudinem, & hæreditatem eius in dracones deſerti. Quod ſi dixerit Idumæa, deſtructi ſumus, ſed reuertentes ædificabimus, quæ deſtructa ſunt: Hæc dicit Dominus exercituum, Iſti ædificabunt, & ego deſtruam, & vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus eſt Dominus vſque in æternum. Et oculi veſtri videbunt, & vos dicetis, magnificetur Dominus ſuper terminum Iſrael.

QVamuis ſcriptura de Deo more humano loquẽs, Eſauum ab ipſo Deo minimè dilectũ & inuiſũ teſtetur, nihilominus benedictionis diuinæ, beneficẽtiæ, benignitatis & liberalitatis nõ fuit (vt ſua nequitia meritus erat) omnino expers,

Nonne multum fuit à parentibus tam piis & ſanctis naſci, ſacris initiari, honeſtis moribus, bonis ſanctiſque morum præceptis imbui, & optimorum parentum exemplis ad cœleſtem beatámque vitam accendi? Præterea montes quos Eſau Deus incolere permiſit, non ita vaſtis ſolitudinibus pleni fuere, quin illi ineſſent lata campeſtria & plana, in quibus ipſe & ſexdecim duces eius nepotes oppida & vrbes condebant, gregéſque ſuos paſcebãt. Non igitur benedictione Dei fuit omnino ſpoliatus & orbatus: cum & corporis & fortunæ bonis Dominus Deus illum abũdè cumulauerit. Fuit enim corpore valens & robuſtus, hinc græcè δρυίνος dictus eſt, quod arbuſtum ſonat. Mira res, Chriſtiani auditores, huiuſmodi Eſauum præpotentem, viribus confidentem, armiſq; deditum fratri natu minori, timido & imbelli, clementi & vrbano, paſcendiſq; gregibus nato, terram adeò opimam relinquendo, mõtes deſertos & incultos habitare voluiſſe. Vis enim & potentia Dei optimi maximi, hoc in loco conſideranda venit, qua ſuos fideles in medio etiam hoſtium ſuſtinere ac tueri ſolet: quod quidem exilium

Gen. 37.

ipſum ſatis ſupérque probauit, cuius tempore tuti in medio Babyloniorum illis infenſiſſimorum, vixerũt. Hac & ipſa tempeſtate Daniel in leonum crudelium lacu ſeruatus eſt. Furiis igitur agitentur quantum voluerint tyranni & Hæretici, Eccleſia interea Chriſti Domini ſponſa in medio eorum tuta ſecuráque manebit. Neque Edom oberit, quo minus Iacobus terram lacte & melle fluentem incolat, vbi Edom ipſe cum poſteris montes dumis ſcalentes habitare coactus fuit. At verò ne à prophetæ noſtri interpretatione longiùs aberremus, paucis anthiteſim, qua vtitur vates, videamus. Vnam duntaxat anthiteſis partẽ ponit, breuitati ſtudens, cum altera facillimè colligi poſſit. Vult igitur dicere. Eſau patriam mõtoſam, deſertam & ſcalidam incoluit, quales ſunt Idumæa & Arabia petroſa; Iacobus verò Chananæorum terram fertilem, vberem & omni genere fructuum abundantem. Eſaui patria in ſolitudinem reducetur, ita vt perpetuò inculta iaceat, nulli prorſus vſui, quàm vaſtis draconibus excipiendis accommoda. Iacobi verò regio quamuis ita vt Idumæorum in vaſtitatem abierit, nepotes tamen eius reduces facti *Dan.14.*

incolẽt:templum,ciuitatem, caſtella & arces inſtaurabunt,& in integrum reſtituent. Hoc exemplo omnibus inconfeſſo eſt, bonos & malos iiſdem pœnarum generibus in hoc mundo plecti,etſi ſuppliciorum finis diuerſus exiſtat. Manet enim diſſimilitudo paſſorum,etiam in ſimilitudine paſſionum: & licet ſub eodem tormẽto non tamen eſt idem virtus & vitium. Nam ſicut ſub eodẽ igne aurum rutilat palea fumat: & ſub eadem tribula ſtipulæ comminuuntur, frumenta purgãtur:nec ideo cum oleo amurça confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur: ita vna eadémque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat: malos dãnat, vaſtat,exterminat. Mali deteſtantur & blaſphemant, boni precantur & laudant. Pij igitur eò affliguntur, vt meliores effecti pace & bonis ſuis,quę prius amiſerant,rurſus fruantur:mali verò vt perpetuis miſeriis ſuos iam hîc manes pati incipientes ſemper crucientur. Quemadmodum hoc in loco de Idumæis videre licet, quibus non eſt facta poteſtas conſtituendi Rempublicã poſt ſuum exilium, immo vero quæ eos olim patria capiebat, eadem iam non aliter ac vaſta quædam immanitas dracones atque

vlularum fœtus capiat. Regum & principum palatia, quæ pauperum ſudoribus & ſanguine conſtruuntur, nulli prorſus vſui poſt mortem ipſorum accommoda ſunt, quàm vt vel ſerpentes, Dracones, bubones & vlulas excipiant, vel vulgo anſam præbeant narrandi fabulas, ac ſi Fauni, Satyri (quos piloſos Eſaias vocat) in huiuſmodi locis redactis in ſolitudinem, ſaltarent, hominibúſque hàc tranſeuntibus, eſſent terrori. Simile gallicũ vulgus narrat de Caſtello biſeſtrio propè lutetiam Pariſiorum, atque Pictaui de Merluſinę. Sed iſtis omiſſis, quid conſilij capiant Idumæi audiamus. *Si dixerit Edom, deſtructi ſumus, &c.* Dictio Hebræa רֻשַּׁשְׁנוּ, pauperem, egenum & inopem fieri, ſignificat. dicunt igitur Idumæi: in paupertatem redacti ſumus: gallicè verbum Hebræum ſic propriè redderemus, *Nous ſommes apouris*, ſed tandem reuertemur & ruinas inſtaurabimus. Hac oratione varium & fortuitum rerum euentum indicant Idumæi, cùm aſſiduo in vita exemplo eoſdem homines ex ſumma copia ad ſummã inopiam redactos, rurſus conſilio, ingenio & induſtria in priſtinam fœlicitatem reſtitui iuxta illud Vergilij. Multa dies variúſque

Eſa. 13.

" labor mutabilis æui, retulit in melius, mul-
" tos alterna reuiſens luſit, & in ſolido rurſus fortuna locauit. Non dixit Edom, Deus hanc paupertatem ob ſcelera & vitia noſtra iurè & meritò nobis intulit, ſed nudè in paupertatem redacti ſumus, quaſi fortuitò hoc malum illis contigiſſet, cùm nutu & voluntate Dei huiuſmodi bonorum & regnorũ euerſiones, depopulationes, direptiones & vaſtationes fiant: quod Iobus probè co-
Iob. 1. gnoſcẽs dicebat, DOMIN⁹ dedit, DOMIN⁹ abſtulit, ſit nomẽ Domini benedictũ. Idumæi etiamſi Iobũ non ſint imitati, animũ tamen nõ deſpondebant, ſed mutuò ſeſe cohortabantur & confirmabant, dicentes, *reuertemur, & ædificabimus ruinas.* Ac ſi dicerent. Reſpublicæ, regna & imperia fortunæ vt & cætera quæque ſubiecta ſunt, cui licet conſilio, prudentia, labore & diligentia obuiam ire, & fortiter obniti ac reſiſtere. Ita enim fortuna fert, vt maximis rerum copiis ditati, in ſummam miſeriam redigantur, & tales effecti; iterum diuitias cumulatiſſimè recipiant, quemadmodum eleganter & lepidè in odis cantat Horatius. Fortuna ſæ-
" uo læta negotio permutat incertos hono-
" res: Nunc mihi, nunc alibi benigna Fortu-

na præſens vel imo tollere de gradu mor- «
tale corpus, vel ſuperbos vertere funeribus «
triumphos. Quare ergo dicebant Idumæi
nos reuertemur & ædificabimus ciuitates,
quæ bellorum incurſionibus ruinas paſſæ
ſunt? *Dixit autem Dominus: Aedificabunt, at
verò deſtruam.* Niſi enim Dominus Deus
mortalium cæptis aſpiraret, ſuccurreret atque
faueret, omnes ipſorum conatus vani
& inutiles eſſent, fieríque non poſſet, vt aliquid
eis proſperè ſuccederet, niſi Dominus
ædificauerit domum (vt ait regius pſaltes)
in vanum laborauerunt, qui ædificant *Pſal. 126.*
eam. Hinc luce clarius apparet familiarum,
rerumpublicarum ac regnorum initia, progreſſus
& ipſorum conſeruationem, non
conſilio, viribus & prudentia hominum,
ſed ſola Dei prouidentia niti, cui omnes religioſiſſimè
ſeruire debent, quicunque ſibi
optimè conſultum eſſe velint. Quampluri-
ma enim olim regna florentiſſima, ac Reſpublicas
potentiſſimas, ſimul & opulentiſſimas
fuiſſe legimus, quorum memoriam
iamdudum obliuio deleuiſſet, niſi teſtis temporum,
magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis, vita
memoriæ hiſtoria, eam ipſam conſeruaſſet.
Ruinæ Babylonis, Troiæ, Athenarum,

Lacedæmoniorum, Corinthi Carthaginíſque nulli vſui nunc prorſus deſeruiunt, quàm vt ſerpentes, dracones, vlularum fœtus & huiuſmodi excipiant. Fruſtra igitur homines ſuæ prudentiæ innixi, grandia
Geneſ.11. moliuntur, vt fertur de his, qui in campo Sennaar turrim ædificauerunt. Arriani tempore filiorum Cōſtantini, aduerſus Eccleſiam plurima tentarunt, vt & Galli noſtrates Hæretici: ſed Dominus Deus vniuerſos eorum conatus irritos fecit, & impios eorum labores, in temeritatis prouerbium, & vulgi fabulam conuertit. Ita vt vocentur quemadmodum Idumæi, *termini iniquitatis, & populus, cui dira in perpetuum inuexit Dominus*. Cum enim illac quis tranſierit, & vrbium Idumææ & Arabiæ deſertæ ruinas contemplatus fuerit, tunc incipiet dicere hanc prouinciam maledictioni, diuinóque odio eſſe obnoxiam, atque Deum illis perpetuò infenſum eſſe. Cum vos vero ab exilio reduces facti, & in ſtatum priſtinum redacti, huiuſmodi ruinas Idumæorum, oculis veſtris conſpexeritis, Deū vtique laudare cogemini ac dicetis: Magnificetur Domini gloria, qui Iſraëlita-

rum fines ita propagando dilatauit, & Idumæos exilij quondam noſtri irriſores, adeò depreſſit & afflixit, vt nulla eis olim detur facultas, quemadmodum & nobis, ciuitatum ſuarum ruinas iterum inſtaurandi. Diſcamus igitur Iudæorum periculo, Deum nos amantem redamare, & à periculis nos liberantem ſanctiſſimè ſemper colere, & glorioſiſſimè collaudare. Cui laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

HOMILIA IIII.

Filius honorat patrem, & ſeruus Dominum ſuum: ſi ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? Dicit Dominus exercituum ad vos ô ſacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, & dixiſtis, in quo deſpeximus nomen tuum?

IN verbi diuini miniſtro Apoſtolus deſiderat vt ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον, id eſt rectè ſecare verbum ſit peritus: verbo qui- *2.Tim.2.*

dem Græco chirurgis proprio vſus appoſitè, qui humana corpora congruè, ſingulatim, membratim, & particulatim ſecare, partiri & diuidere ſcientes, vnicuique mēbro & particulæ corporis, veluti morbus exigit, remedia topica aptè & ſalubriter accommodare & applicare norunt. Vates igitur noſter Chirurgos artem ſuam probè callentes, ſecutus, vnicuique membrorum corporis myſtici ſynagogæ remedia, quemadmodum neceſſitas poſtulabat, diligenter adhibuit. Nam poſtquam in vniuerſo totius populi ingratitudinem ſatis accriter coarguiſſet, in Sacerdotes qui ſua negligētia ſimul & auaritia, populi in diuino cultu torporem fouebant, neque Deum vt patrē reuerebantur, nec vt Dominum colebant, admodum vehementer ac ſeuerè inuehitur. Dicebat igitur: *Filius honorat patrem, &c.* Bonæ indolis filij virgis etiā cæſi & caſtigati, patres qui eos caſtigant nihilominus reuerentur, obſeruant & colunt. Ego optimi patris officio functus, vos caſtigaui, vt pater filios ſibi chariſſimos & iucundiſſimos
Prou. 3. corrigere ſolet. Nam vt dicit Sapiens; flagellat pater omnem filium, quem recipit. Veruntamen propterea nec emēdati eſtis,
neque

me vt patrem reueriti eſtis, neque me vt Dominum(quod peius eſt)timuiſtis,quemadmodũ ſerui Dominos timere ſolent. Ac ſi diceret : Omnes aut liberali & ingenua beneuolentia & charitate ducuntur, quæ efficit vt filij amando ſuſpiciant, venerentur & colant parẽtes,quam Hebræi כָּבוֹר vocãt,aut ſeruili timore trahuntur & coguntur, quoquidẽ ſerui etiã inuiti ac formidine pœnæ coacti, dominos ſuos metuunt ac timent,qui timor Hebræis מוֹרָה dicitur. Vtriuſque exempla in ſcripturis ſanctis reperiuntur. Prioris,quidem Exod.2.Honora patrem tuum & matrem tuam. Poſterioris Coloceſſ. 3. Serui obedite dominis carnalibus cum timore & ſimplicitate cordis veſtri. Septuaginta interpretes appoſitè addiderunt φοβηθήσεται timebit,quòd & Hebræus textus indicat, quando per apodoſin,id eſt,redditionem infert, *Vbi mei timor?* Ex eo enim quòd plerúmque fieri ſolet, & à rectæ rationis dictamine pendet, Sacerdotum vitia vehementer inſectatur. Natura profectò duce filij parentibus honorem deferunt, & ſerui heros ſuos reuerentia ſimul ac timore proſequuntur. Illud certè naturæ ita conſonum eſt, vt ſa-

Exod.2.
Col.3.

piens legiſlator Solon ille nullas leges in parricidas tulerit, non valens animo concipere filios in parentes tam immane, nefarium, impium & truculentum ſcelus admittere poſſe. Vereor equidem ne inter Chriſtianos tales reperiantur, quales nuſquam futuros Solon exiſtimaſſet, qui parentibus vitam adimere tentarent, à quibus vitam accepiſſent. At Dei vltionem non effugient: ſed quemadmodum Cam patris ſui verenda irridens, & Abſalon Dauidi patri ſuo bellum inferens, mala & infauſta morte peribunt. Serui quoque dominos ſuſpicere, timere & eis ſeruire debent, non ad nutum tantum, pœnam timentes, ſed & propter conſcientiam, vt Paulus Rom. 13. docet: neque bonis tantum morem gerere debemus, ſed teſte Petro Apoſtolo, etiam difficilibus, inhumanis, importunis & diſcolis. Interim domini diſcant ſeruos benignè tractare, ſcientes illos manu-miſſos & in Chriſto liberos eſſe. Omnes quotquot ſunt, qui neque Deum colunt vt patrem, neque verentur & timent vt Dominum, ipſis etiam dæmonibus multò peiores ſunt, qui authore Iacobo, credunt & contremiſcunt.

Epheſ. 6.
Rom. 13.
1. Pet. 2.

Huiuſmodi ſunt impij quidam & Athei, Iac.2.
qui flagitiosè contendunt, illudunt & irrident quicquid de Deo malorum vindice, de reſurrectione, de iudicio extremo & de inferis dicuntur: in quorum ſcelus ita nefandum magiſtratus, qui non abs re gladium portat, ſæuiſſimè animaduertere deberet, ſi iura & leges ſanctas rectè & vt decet obſeruatas eſſe velit. Sæueriori reprehenſione aduerſus Sacerdotes non potuiſſet vti vates noſter, quos in hoc verſu arguiſſe ſatis conſtat, cùm ab eo loco, *Filius honorat patrem*, vſque ibi incluſiue, *in quo deſpeximus nomen tuum?* totum ſit ſub vno verſu apud Hebræos. Quamuis enim omnes ſint Filij Dei, Sacerdotes tamen quodam modo ſpeciali filiorum nomine dignatur Deus, eo quod ad ſacrum miniſterium ſint deputati. Iure ergo & meritò cum illis Dominus expoſtulat, dicens, *ſi ego pater, vbi eſt honor meus?* Etiamſi Dominum Deum maximè venerari, ſanctiſſimè colere, & maximo proſequi honore teneantur omnes, præcipuè ſanè Sacerdotes, quibus tot & tanta ſacroſancta myſteria in-

Eccleſia concredita ſunt. Vtinam ſacerdotij dignitatem probè noſcerent noſtri Sacerdotes, non ita turpiſſimis moribus ſacroſanctum hunc ordinem deformarent atque infamarent. Ægyptij olim (quemadmodum Moſes eſt author) tanti faciebant
Gen. 45. Sacerdotes ſuos Mathematicarũ peritiſſimos, vt ab omni planè tributo, famis tempore fuerint liberi, & ex horreis publicis victus eis cumulatè ſuppeditatus fuerit. Abrahamus fidei pater, Melchiſedech ſacerdotem
Gen. 14. ſummè coluit. Vndecim tribus ſacerdotibus leuitici generis omniũ terræ prouentuum decimas religioſè perſoluerunt. Non minori honore & obſeruantia in antiqua ac veteri Eccleſia Chriſtiani ſacerdotes ſuos ſemper proſecuti fuerunt. Qui ſacerdotum laudes noſce cupit, diuũ Chryſoſtomum eloquentiæ Chriſtianæ parentem, legat, in eis libris, quibus titulũ fecit, de ſacerdotio. Quis enim mortalium auſus fuiſſet, viros ad tantum honoris faſtigiũ erectos arguere, niſi prophetę & prophetarum coryphæus Chriſtus, cum ſuo ſancto præcurſore, præcone ac prodromo Ioanne ba-
Zach. 11. ptiſta viam nobis hãc pertriuiſſent? Zacharias nõ eſt veritus ſui ſeculi malos ſacerdo-

tes,non paſtores,ſed paſtorum idola vocare. Eſaias vocat huiuſcemodi canes mutos, qui latrare nõ valent. Baptiſta vtens metaphora,eos genimina viperarum dicit. Chriſtus cum ſepulchris dealbatis cõfert. Liceat igitur Eccleſiæ concionatoribus, ſacerdotum vitia, niſi reſipuerint, inſectari, veluti Paulus eos arguebat,qui prædicabant non furandum, & furabantur, non mœchandum,& mœchabantur. Poſſunt enim duobus modis, Reipublicæ Chriſtianæ pernicioſiſſimis,peccare ſacerdotes:nempe in doctrina, quam(vt ſuis corruptiſſimis & perditiſſimis affectibus inſeruiant)corrumpũt, velut Hæretici, vel malo exemplo, vt filij Heli, qui totum miniſterium ſua fraude & auaritia populo inuiſum reddiderunt. Simile nobis contigit hac infœlici tempeſtate,in qua quamplurimi ſacerdotes, etiam Monachi falſam doctrinam in vulgus ſparſerunt,vt luxuriæ ſuæ, libidini & ambitioni magis conſulerent & inſeruirẽt. Alij autem tam improbè vixerunt, vt prouerbio locũ dederint,nullum inſigne crimen ſine ſacerdote admitti. Cautiùs igitur ſanctiúſque agentes viuamus, ne vulgo dicamur, impiè deſpicere Domini nomen, Hebręorum

Eſa. 56.
Luc. 3.
Matth. 23.
Rom. 2.

ſacerdotum inſtar. Oportebat enim eos ipſos pręcæteris nomen Dei auguſtè, ſanctéque ſemper venerari, quod tanquã profani nefariè contẽnebant. Deſpicere enim nomẽ Dei, eſt parui facere gloriam Dei, & nõ curare an per vitam & opera noſtra Deus glorificetur vel non, quia per nomen Dei ſcriptura gloriã, magnificentiamq́; Dei intelligit. Tanti autẽ cuique Deus eſt, quãti ſacra eius gloria & ſanctũ & auguſtũ eius nomẽ: vnde certum eſt eos, qui nomen Dei petulanter contumelioſeq́; cõuitiando blaſphemant, & impiè vſurpãt, atque in rebus diuinis non ſedulò & tota cura & cogitatione, ſed negligenter ac perfunctoriè agunt, Dei nomen ſanctiſſimũ nauci facere, & de Deo nihil ſublime ſentire, Deũ nõ agnoſcere, ſed prorſus negare. Neceſſario certè à facie Dei contremiſcunt, qui eum iudicem credũt & præſentẽ. Hodie in Gallia noſtra Diuo Ludouico rege Chriſtianiſſimo opus eſſet, qui leges, quas in blaſphemos tulerat, iuberet obſeruari. Veteris enim & antiquæ legis ſacerdotes maxima cum religione magnũ Dei nomen יְהוָה proferebãt, & ideo vati reſpõſabant, *In quo deſpeximus nomẽ Domini?* Quaſi
Eſa 29. ſatis eſſet labiorũ tenus Deũ colere, cũ eorũ

mẽtes à Deo longè abeſſent. Quã multi ſacerdotes, qui ſuo officio probè functi arbitrantur, ſi labiis duntaxat horas canonicas pronunciarint? Nolo tamen ritum & morẽ illum antiquiſſimum precandi Deum ſtatis horis, temerè cũ Hæreticis damnare: quandoquidem Daniel ter ſingulis diebus & ſtatis horis verſus templum ſit precatus. Et in Annalibus Apoſtolorũ ſcribatur de Petro & Ioanne, quòd aſcenderint in templũ ad horam orationis nonam. His quoque accedit id quod ſcripſit Hieronymus ad Letam de inſtitutione filiæ, vbi meminit omnium precũ, quas ex more & per diſtincta interualla & diſcretas horas, Domino Deo Catholica religiosè cõcinnit & celebrat Eccleſia. Sed hypocritarũ faſtũ cum abuſu cõiunctũ reprehendo, & in vltimas terras deportandũ cẽſeo, qui quàm ſæpiſſimè nõ intelligẽtes quæ dicunt, corda etiã à Deo optimo maximo procul & ad res ineptas diſtrahũt: nihilomin⁹ dũ iuſtè, piè opportuneq́; arguũtur, reſpõſare impudẽter audẽt, *In quo deſpeximꝰ nomẽ Domini?* Hypochriſis, quę externa dũtaxat admiratur, internos affectus nec cõtemplatur, nec videt: alioqui per externas hoſtias, quas in dies ſatis frigidè Sacerdotes

Dan. 6.

Act. 3.

Hieron. epiſt. ad Letam.

ſtii ad altare ferebãt & ſuper huiuſcemodi nomẽ Dei inuocabãt, interni cultus neglecti excuſationẽ minime prętexiſſent. Faxit De' vt internè & externè in Eccleſia ſancta & Catholica, purè ſyncereq́; ſanctiſſimũ ipſius nomẽ ſemper per Chriſtũ colamus, cui laus & honor. Per omnia ſecula ſeculorũ, Amẽ.

HOMILIA V.

Offertis ſuper altare meũ panem pollutum: & dicitis, in quo polluimus te? In eo quod dicitis, mẽſa Domini deſpecta eſt. Si offeratis cæcum ad immolandum, nónne malum eſt? & ſi offeratis claudum & languidum, nónne malum eſt? offer illud duci tuo, ſi placuerit ei, aut ſi ſuſceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.

SAtis vulgatum tritúmque prouerbiũ extat, carpens eos, quorum vita & mores profeſſioni minus reſpõdent, quòd ſint videlicet Philoſophi barba pallióque tenus, quales erant ſacerdotes Malachiæ temporibus: qui cùm exteriori cultu & profeſſione ſanctiorem & excellentiorem dignitatis gradum profiterentur, ipſorum verò actiones pluſquam δὶς διάπασον à dignitatis & excellentiæ gradu & decoro diſſidebant. Quamobrẽ vates noſter illorũ

vitia ac ſcelera, paucis quidem,ſed apertis, acriter præmentibus ac vrgentibus verbis aperit. *Offertis* inquit, *ſuper altare meum panem pollutum*. Reos enim criminis cuius paulò antè arguebantur, oſtendit, dicens, offertis ſuper alta.&c. Ac ſi diceret qua ergo fronte,quo ore, qua freti audacia in hæc verba prorūpere audetis? nonne mihi contumeliam infertis,cum victimas indignas, immundas, mutilas atque reiectitias ad aram meam adducitis? Panis enim nomine, ſacrificia omnia & munera, quibus homines veſci cōſueuerant, Hebræus ſermo breuitate preclarus complectitur & comprehendit: quemadmodū videre licet Leu.21. Sanctificabis eum inquit, quia panes Dei tui ſanctificat ipſe, Itidem.3. eiuſdem: vt ſit panis (id eſt ſacrificium) igne confectus Domino. Præterea Num.28. Sacrificium inquit meum, nempe panem meum ſtato ſuo tempore obſeruabitis. Huic enim Hebrææ loquendi phraſi Sinecdochicæ, hæc Gallica reſpōdere videtur, vt cum aliquem rogamus,prandeat,cœnetuè nobiſcū,dicere ſolemus Sinecdochicōs, velit ne nobiſcū bibere, potu omnia intelligentes, quæ mēſæ diſcumbentibus apponi conſueuerunt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cùm ergo ex omni veteris religionis apparatu rerum ſanctarum, quæ ad diuinum cultum pertinebant, ſola duntaxat ſacrificia poſt Babylonica tempora, relicta eſſent, quibus diuinorum beneficiorum monumēta conſeruabātur, oportebat ea à ſacerdotibus ſanctiſſimè & religioſiſſimè puriſſiméque curari, atque celebrari. Arca enim Domini, & quæ in ea ſacroſancta reposita erant, vt virga Moſis, manna vrnæ incluſum, cum Thurim & Vrim poſt excidium babylonicū deſiderabātur, quæ omnia tum belli furore, tum ſacerdotum populiq; negligentia perierant. Quis igitur tam magnum ſacerdotū in ſacrificiis procurandis torporem non execratus fuiſſet? At vero non longe ab illorum moribus abſumus, quippe qui temporum iniuria, vel potius hominum malitia, quàm plurima quæ in templis noſtris ad populi Chriſtiani pietatem excitandam, religioſè quidem & honorificè ſeruabātur, amiſimus: veruntamen nihilo meliores effecti, quæ reliqua ſunt frigidius, negligentius minúſque religioſè quàm antea tractamus. Populus excuſationem prætexere poterat, videlicet ignorantiam malúmque ſacerdotum exē-

Heb. 9.

plum: ſacrifici verò, quorum labia ſcientiam cuſtodire debebant, nullam prorſus prætendere poterant, qua culpæ crimen à ſe deriuarent: quare iure & meritò probro datur illis, quod ſacrificia polluta, conſpurcata, & abiecta ad aram pietati conſecratam, non pro dignitate, ſed perfunctoriè attulerint. Interea tamen impudenter & proteruè reſpondebant, *qua nam re polluimus te?* Obſeruanda hoc in loco venit hominum improbitas & nequitia, qui culpæ crimen negatione potius extenuare & diluere, quàm confeſſione deprecari ac pœnitentia corrigere ſolent. Geneſeos liber huiuſce rei plura ſuppeditabit exempla. Adamus crimine læſę maieſtatis conuictus, culpam in vxorem ſuam reiecit. Caïn homicidij inſimulatus, ſe fratris ſui cuſtodem non eſſe Deo reprehendenti, maxima cum temeritate & audacia reſpondit. Quotuſquiſque veterum Hæreticorum vnquam in comitiis palinodiam cantare voluit? Iſtis pſeudoſacrificis ſunt ſimiles, qui Deo ipſos arguenti, reſpondent, *In quo polluimus te?* Quibus reſpondet DOMINVS, *In eo, quod dicitis menſa Domini deſpecta eſt:*

Gen.3.
Gen.4.

aræ quæ Domino Deo conſecratæ ſunt, menſę nomen ex ſcripturæ phraſi ſubeunt, vt ex 41. Ezechielis capite perſpectum eſt: Altaris lignei inquit, trium cubitorum altitudo: & longitudo eius duorũ cubitorũ: & anguli eius, & lõgitudo eius & parietes eius lignei: & locutus eſt ad me, hæc eſt menſa coram Domino. Hanc phraſim Hebræam Apoſtolus (qui Gręcè ſcribẽdo Hebraiſmis etiã caret) ſeruauit 1. Cor. 10. Quãdo altaris Sacramentũ, menſam Domini appellauit, aſſerẽs Chriſtianos nõ poſſe participes effici menſæ Domini, & menſæ dæmoniorũ: quem quidem locum Muſculus vſitata hęreticis malitia, vel potius fraude & calliditate, quàm imprudentia & inſcitia lapſus, in ſuis locis cõmunibus deprauare & peruertere (vt & alia permulta) ſummo ſtudio conatus eſt, ne cum ſuis admittere cogeretur cœnam ſacrificium eſſe. Nam altare & ſacrificium ſunt πρός τι, id eſt relata, ſi linguæ Græcæ proprietatem perſpexerimus. θυσία & θυσιαστήριον mutuò ſeſe inferunt, ac ſi diceremus (ſi latina lingua pateretur) ſacrificium & ſacrificatorium. Neque enim minus lucis ad hoc affert etymon nominis Hebræi altare, ſignificãtis: nam מִזְבֵּחַ quod

altare ſignificat, à verbo זָבַח id eſt ſacrificauit, fit ac format' adueniēte litera emātica. Cum igitur menſa & altare idem ſint, & menſam habeamus teſte Apoſtolo, in Eccleſia, ſacrificium quoque, quod menſæ ſuperponatur, habeamus neceſſe eſt. Sed illuc vnde abij redeo. *Menſa Domini, inquit propheta, contemptibilis eſt.* Plus enim laboris inſumebant ſacerdotes, in menſis ſuis ad communes epulas parandis & inſtruendis, quàm in menſa Domini, quæ tum ob eorū vitam impuriſſimam tum ob falſam doctrinam contemptui habebatur. Docebant enim populum nihil referre, ſi hoſtias reiecticias, nempe luminibus captas, claudas & morbidas ad altare offerrent, inopiam populi ob exilium prætexantes, vt hoc pacto ſuæ inexplebili auaritiæ conſulerent. Nam timebant quod ſi columbas, aut alia huiuſmodi munuſcula, quæ pauperibus deſignata erant, à populo eſſent oblata, multum quæſtus, emolumenti & lucri deperderēt, & ideò perſuadebāt nihil periculi eſſe, ſi ſacrificia animalium craſſiorū etiam imperfectorum ad altare afferrentur. Chriſtus phariſeis tale ſcelus exprobrabat, qui mandatum Dei tranſgrediebantur, vt ſuæ aua- *Mat. 15.*

ritiæ cumulatius ſatisfaceret. Duobus modis hodie menſa Domini deſpicitur: Vno quidem modo ob ſacerdotum vitæ impuritatem, altero vero ob hæreticorum falſam doctrinam, qui de cœna Domini tam varij ſunt, vt vix ac ne vix quidem duo miniſtri reperiantur, qui de illa ipſa conſentientes & congruentes eandem ferant ſententiam. Verendum eſt ne Deus optimus maximus, ob tam barbarum & impium ſacræ ſuæ menſæ contemptum, tandiu nos bellis ciuilibus afflixerit. Paulus Corinthios multos ex hac vita migraſſe docet, & alios etiam variis morbis laboraſſe, quia menſam Domini ebrietate, impietate, immiſericordia & inhumanitate polluebant. Optatus ille Epiſcopus Mileuitanus non ſilentio præteriit plagam diuinam in hæreticos inflictam fuiſſe, qui ſacram Euchariſtiam canibus proiiciebant: nam canes in rabiem verſi magiſtros ſuos dilaniarũt. Mẽſa Domini olim, quãdo Eccleſia diuitiis abundabat, non contẽpta & vilis erat: Nam cupiebant omnes ad ſacerdotia promoueri, nobiles etiam & principes. Poſtquam vero crucifixi patrimonium (ſi vulgi verbis vti licet) diminutum, profuſè conſumptũ,

1. Cor. 11.

Optatus lib. 2. Contra Parme.

exhauſtum ac dilapidatum eſt. Vix vnus reperiri poteſt, qui ſacerdotiū ambiat. Huiuſmodi enim pietatē quæſtu & lucro metiuntur, emolumentis & commodis æſtimant, veluti Iudæorū ſacerdotes. At verò iſthæc miſſa facientes, textū reliquum paucis explicemus, quo propheta ſacerdotes reos criminis facit, exemplo petito tum ex lege quæ habetur Leui.22.tum etiā ex munuſculis, quibus officioſè ſolemus Duces & Principes noſtros promereri, & illorū erga nos beneuolētiam & gratiam inire. *Si afferatis*, inquit, *cæcum ad immolandū, nonne malū eſt? Etſi offeratis claudum & languidum, nonne malum eſt? Offer illud Duci tuo, &c.* Quamuis Deus optimus maximus bonorū noſtrorū nō indigeat, cuiq; probitas magis grata eſt, quàm ſumptus & impēſæ, cuius etiam ſunt omnes beſtię ſyluę, & omnia quę ſunt in *Pſal.49.* mari piſciū genera, vult nihilominis ne ingrati videamur, vt ipſi ex ſelectiorib⁹ bonis noſtris partem minimā quidē, ſed ſyncero tamē & puro corde offeramus. Quantitatē minimè aſpicit Deus, ſed qualitatē. Nemini dubium eſſe debet, quin Caini munera quātitate æquarint, ne dicā, ſuperarint, illa, quæ fuerint Abelis, verūtamen reſpexit

Gen. 4. Heb. 11. Leu. 22. Dominus ad Abelem & in munera eius, vbi Caïnum cum ſuis contēpſit muneribus. Non abs re in lege cautum erat, ne hoſtia quæ aliquid imperfectionis haberet, ad aram offerretur, quandoquidem Chriſtum (qui fuit agnus ſine macula) huiuſmodi ſacrificia myſticè innuebant, ſignificabant & repreſentabant. Et quoniam ſciebat vates noſter ſacerdotes parum aut nihil moueri legis præcepto, quod vetabat ne luminibus captū animal, neque claudum, nec imperfectionem aliquam habens, adduceretur ad menſam Domini, eos ipſos conuincit exēplo ducto ab his, qui ducibus præſidibuſq; ſuis officioſi & grati eſſe omni ope nitūtur, ac pro virili conantur. Non enim ſui principis beneuolentiam conciliarēt, ſi Calabri hoſpitis more, vilia & porcis digna munera præberent. Si igitur ſacerdotes, lex Dei ſancta, cuius interpretes eſſe gloriamini, quæ huiuſmodi ſacrificia prohibet imperfecta, non vos mouet, moueat ſaltem hoc ipſum exemplum ex munuſculis principi veſtro offerendis petitum. Faxit Deus vt hac doctrina caſtigati, nos ſanctos & immaculatos ad altare exhibeamus hoſtiā rationabilem, Deo patri per Chriſtum gratam & acceptam

ceptam, cui laus, honor, & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

HOMILIA VI.

Et nunc deprecamini vultum Dei, vt miſereatur veſtri (de manu enim veſtra factum eſt hoc) ſi quo modo ſuſcipiat facies veſtras, dicit Dominus exercituum. Quis eſt in vobis qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuitò?

QVI leges, edicta, conſtitutiones, & ſtatuta regia parui pendunt, regẽ ipſum à quo proficiſcuntur, contemnere & parui facere neceſſariò conuincuntur. Cæremonias autẽ, ſacrificia & ſacramenta antiqua à Deo inſtituta fuiſſe, nemini dubium eſt. Contemptores igitur harum rerum ſacroſanctarum (ſine quibus ne vlla quidẽ religio conſiſtere poſſet) Deũ ipſum earum autorem flocci facere, iuſtiſſimis de cauſis coarguuntur. Tales Corinthij extitêre, qui menſam Domini luxu, temulentia & ebrietate, pauperum inhumana & impia negligẽtia prophanabant. Huius quoque criminis reos eſſe Sacerdotes docet Propheta, quoniam ad altare Do- *Aug. li. 19. contra Fauſtum. ca. 11.* *1. Cor. 11.*

mini munera ſordida, qualia ſuis principibus deferre veriti eſſent, indecenter offerebant. Illos tamen non eſſe extra ſpem veniç conſtitutos docet Vates noſter, qui eos ad exorandum vultum Domini fraternè, leniterq; chortatur, vt illis ipſis clementer miſericordiam Dominus impertiatur. *Nūc ergo deprecamini*, inquit, *vultū Dei*, ac ſi diceret, homines eſtis, nihil humani à vobis alienū putare debetis: nā peccare humanū quidē eſt, in peccatis autē velle ſemper eſſe & perſeuerare, diabolicæ obſtinationis & nequitiæ eſt. Quare (cùm erranti ſaluberrima ſit medicina cōfeſſio, & optimus ſit portus pœnitēti mutatio cōſilij, & erroris emēdatio) agite nūc demùm errantes miſeri ſummis votis, & intimo ex animo pœnitētia duce, ad Deū optimū, maximum reuerſi, admiſſorum veniam ſupplices poſtulate, vt illum tandem vobis miſericordem, clementem, propitiumq; ſentiatis. Nam licet Dominus Deus iudex ſeuerus in facinoroſos appareat, ſeueritatem tamen multis humanitatis & miſericordiæ condimentis lenire ac mitigare ſolet, neq; in eos ipſos tam citò animaduertit, pro ſumma & ſingulari ſua illa erga homines benignitate, tolerātia, le-

nitate atq; clemẽtia,modò reſipiãt. Quod quidẽ Nouatiani parũ attẽtè conſiderãtes, huic doctrinæ contraria impudẽter & impiè docuerũt,Deũ ſcilicet tãta ſæuitia,crudelitateq; præditũ eſſe, mentibus hominũ inculcabãt,vt ſecunda ſubſidia(Tertulliani certè verbis lubens vtor) poſt prima illa intinctionis Dominicæ monimenta,denegarẽt. Petrus Apoſt.Act.8.Simoni Mago,qui poſt regenerationis lauacrũ, tã ſanctũ Dei donũ pecuniis acquirere tentarat, ſecunda illa intinctionis ſubſidia,vel (vt cũ Hieron. loquar) ſecundã poſt naufragiũ tabulã, illi ipſi monſtrabat dicẽs,Pœnitentiam age ab hac nequitia tua,& roga Deum,ſi fortè remittatur tibi hęc cogitatio cordis tui.Quare multi eorũ qui crediderant,hanc Eccleſiæ praxim agnoſcentes, veniebant cõfitentes & annunciãtes actus ſuos.Act.19.Hinc fuit in more poſitũ, inſtitutoq; maiorũ, vt pœnitẽtes presbyteris aduoluerẽtur,atque corã ipſis exomologeſin facerẽt.Mutæ & irrationales inquiebat Tertul.medicinas ſibi attributas,in tẽpore agnoſcũt:ceruus ſagitta transfixus,vt ferrũ, & irreuocabiles eius moras de vulnere expellat, ſcit ſibi dictãno medẽdum: hirundo ſi excæcauerit pullos, Tert.de pœnit.

nouit eos occulare rurſus de ſua chelidonia: peccator reſtituendo ſibi iuſtitiam à Domino, exomologeſin ſciens, præteribit illam, quæ Babylonium regem in regna reſtituit? Diuorum Dionyſij & Cypriani teſtimonia volens, ſciénſque prætereo, ne tædio auditores afficiam. Atque ne diutius ſuſpenſa oratione mea, expectatio veſtra teneatur, aggrediar ad textum. *Nunc igitur deprecamini faciem Dei, vt noſtri miſereatur.* Etenim cum dura & aduerſa fortuna, qua conflictati ſunt, tum Sacerdotes, tum populus, Prophetæ communis fuit, & ex æquo moleſta, ſic orationem ſuam inſtituit, vt ſeipſum quoque peccatoribus adnumeret. *Vt noſtri*, inquit, *miſereatur*. Hunc precādi
Exod. 34. morem & cōſuetudinem ſeruauit Moſes: Tu propitius, inquiebat, fies iniquitati noſtræ, & peccato noſtro. Modeſtia ſimili
1. Ioan. 2. Ioannes Apoſtolus vtitur, dicens, Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem. Maluit, inquit Auguſtinus, ſe ponere in numero peccatorum, vt haberet aduocatum Chriſtū, quàm ponere ſe pro Chriſto aduocatum, & inter damnatos inueniri
Mat. 6. ſuperbos. Peccatoribus igitur nos adnumerare debemus, dicendo, quemadmodū

Chriſtus docuit, Dimitte nobis debita no- *Luc. 18.*
ſtra: & cum Publicano, propitius eſto nobis peccatoribus, qui cœlum aſpicere ſumus indigni. Sunt qui textum hunc per ironiam legunt, ac ſi diceret Vates: nunc ergo Dominum deprecamini, ſi preci veſtræ annuet. Hypocritas à Domino Deo irrideri, ſatis frequenter in Scripturis reperimus. Æquum enim eſt, vt ij ipſi, qui Deo fucum faciunt, nimirum ad altare corpore venientes, corde verò & animo à rebus diuinis procul remoti, vtpote ſua duntaxat commoda ſectātes, à Deo optimo, maximo irrideantur, ſimul & contemnantur. Dicit igitur, expectate aliquantiſper, *ſi noſtri miſereatur, de manu enim Veſtra hoc factum eſt:* Vult dicere, veſtris operibus, (quæ per manum Hebraiſmus intelligit) ac veſtra culpa effectum eſt, vt noſtri non tam citò miſereatur: quandoquidem multa præter fas & æquum, Deo etiam coram intuente, deſignatis. Oportet enim eum, qui legatus & internuntius apud Deum conſtituitur, nō eidem eſſe ingratum, nec inuiſum, aliàs diceretur illi, Quare tu enarras iuſtitias meas *Pſal. 49.*
& aſſumis teſtimonium meum per os tuū? Tu verò odiſti diſciplinam, & abieciſti ſer-

mones meos retrorſum. Hæc enim Scriptura fauere videtur Donatiſtarum ſtulto, cæco, & impio errori, qui nō minus temerè quàm impudenter docebant, miniſtrorum malitiam officere, & obſtare, ne Sacramenta ſuum ſortirentur effectum: quibus Diuus Auguſtinus in libris contra illos editis, abundè reſpondit, magno tum Scripturarum, tum rationum aceruo probans, miniſtrorũ malitiam non obeſſe, quò minus quis ſit rectè Baptiſmo tinctus, cùm Paulus plantet tantùm, Apollo riget, Deus verò ipſe eſt, qui incrementum dat: ipſe eſt qui baptizat, miniſtri duntaxat ſumus, atq; diſpēſatores miniſteriorũ eius. Notabimus intereà diuerſam fuiſſe rationem ſacrificiorum & ſacramentorũ veteris ac noui Teſtamenti: illa quidem nullius præſtãtiæ & virtutis natura ſua prædita erãt, ſed futuri ſacrificij arcana vi & ſignificatione, quod prodeſſe poterant, valebãt. Noſtra verò, natura ſua maxima atque efficaciſſima ſunt, à quocũque miniſtro, modò legitimo, id fiat, permagni non refert. Miniſtri enim improbitas, neque ſacramentorum dignitati detrahere, nec officere poteſt. Nonne perinde eſt, cuius ſerui opera & ſtudio, hortus ſit ſa-

Aug. tomo 7. paſſim.

1. Cor. 3.

tus atque rigatus? Quid noſtra intereſt, an Cancellarius ſit vir bonus, nec ne, dummodò regias donationes publico ſigillo legitimè obſignet? Deſinant igitur Hæretici nobis faceſſere negotium ob Sacerdotum noſtrorum mores perditos, atque propterea ſacramenta, cæremonias, vniuerſámque Catholicæ Eccleſiæ politiam contemptui habere. In ipſarum rerum authorem aſpiciant, qui aruum ſuum à quocunque ſit ſatum, rigatúmue fœcundare non ceſſat. Aliud autem eſt de ſacrificiorum virtute, atque de ſacrificantium probitate & integritate loqui. Hoc enim in loco Vates noſter ſacrificorum improbitatē carpit, quæ impedimento fuit ne precationes illæ ſolennes in ſacrificiis fieri ſolitæ (de quibus Numer.6.) Deo optimo, maximo gratæ eſſent: imò verò ſatius fore dicit, *Si quis ædis ſacræ fores clauſiſſet, ne altare fruſtra*, & ſine vlla frugifera ratione, aut vtilitate aliqua *incenderet*. Res enim ſacræ eius generis ſunt, vt nō cōſuetudinis tantū retinendæ, ſed magis verę animorū pietatis oſtendendæ & exercendę cauſa factitari & curari debeāt: aliàs minus inutile & noxium eſſet eas planè relinqui,

quàm operã ſimul & oleum perdere. Hunc enim ſenſum ſequutus eſt Ionathan in ſua Paraphraſi Chaldæa. Vereor equidem ne templorum fores nobis tam frigidè Deo ſeruientibus, & quæſtum pietati præferentibus, meritò claudentur, & Vates in nos inuehatur, dicens, *Quis eſt in vobis qui claudat oſtia, & incendat ad altare meum gratuitò?* Infimi etenim ordinis Eccleſiaſtici munia, quales Oſtiarij & Acoluthi exciterunt, nemo obibat, niſi propoſita certæ mercedis & lucri expectatione. Poſſunt enim qui templo & altari deſeruiunt, ſtipendia quæ à Deo conſtituta ſunt, ſummo iure & ſecuriſſima conſcientia poſtulare, modò abſit auaritia: nam ex Euangelio viuere licet iis, qui ſe eius miniſterio addixerunt ac mãciparunt. Quod plurimis exemplis docuit Apoſtolus, 2. Corinth. 9. etiam ſi manibus ſuis laborare patienter, quàm Eccleſiam ſumptibus & impenſis, ne leuiter quidem onerare maluerit. Satis enim ſupérque bonorum haberet Eccleſia, vt non tantùm Epiſcopi ac Sacerdotes alerentur, ſed dignitatis etiã infimæ clerici, ſi iuxta vetus illud adagiũ, μέρις ȣ̓ πνῖξ, partitio iũſta & idonea, & nõ præfocatio fieret, ſi non ex potentiorũ vio-

lentia & tyrannide, ſed ex iuris æquitate cuique pro dignitate, ac virtutis merito bona diſtribuerẽtur, ſinguliq; ſuo probè fungerentur officij munere. At verò maxima Chriſtianorum pars hoc miſerrimo ſeculo ignorat, quid velit nomen Oſtiarij, Lectoris, Exorciſtæ, Acoluti, Subdiaconi, atque Diaconi. Nomen tantùm retinuimus, rem verò iam pridem amiſſam, nunc deſideramus, quę ſi vnquam, his miſerrimis temporibus maximè neceſſaria eſſet, cùm videamus Eccleſiam adeò perditis moribus afflictam & oppreſſam iacere. Eam ipſam in veterem libertatem, priſtinámque & integram dignitatem Deus optimus, maximus vindicare dignetur, cui laus, honor, & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

HOMILIA VII.

Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomẽ meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.

DEVS optimus maximus, qui nō vult vt ipſi perfunctoriè, ſed ex animo ſeruiatur, Iudæorum pietatem negligētium, repulſam, ac abſciſionem, & in eorum locum Gentium inſertionem, (quæ nomen eius venerationi habituræ forent, & in omni loco mundam oblationem ſacrificaturæ) per Malachiam Vatem noſtrū graphicè, penicilloq; pluſquàm humano pinxit. *Non eſt*, inquit, *mihi in vobis beneplacitum*: meus nunc à vobis alienus eſt animus. Tantùm abeſt, vt veſtris oblationibus ac muneribus placatior fiam, vt etiam his ipſis ad iracundiam me grauiter prouocetis, quandoquidem manus veſtræ rapina, cæde, & ſanguine plenæ ſunt, & quemadmodū venuſtè lepideq; cecinit lyricus: Immunis aram ſi tetigit manus, nō ſumptuoſa blandior hoſtia, mollibit auerſos Penates, farre pio, & ſaliente mica. Vidua noſtra Euangelica, quę duo minuta in

Luc. 21. Gazophylacium dūtaxat miſit, Chriſti iudicio & ſentētia plus omnibus ditioribus, qui multa tribuebāt, dediſſe viſa eſt. Nolite igitur veſtris gloriari ſacrificiis: *Non enim ſuſcipiam munus amplius de manu veſtra*, i. oblationem de manibus veſtris non comproba-

bo.Hebraicè habetur מִנְחָה, quod ſignificat cibarium ſacrificium, ſeu molam, placentam,libum, & cætera huiuſmodi ex farina confecta, quæ vel in craticula, ſub ciner-búſue coquebantur. Huius generis ſacrificia Græci ἀναιμάκτα, Latini incruenta vocant,quæ propriè & accommodatè ſacrificium menſæ Dominicæ ſignificabāt ac repræſentabant.Non poſſum quin hoc in loco, quorundam impudentium rixandi cupiditatem coarguam, qui altare Domini culpēt, quòd panis in furno non ſit coctus, quaſi verò permagni intereſſet, quomodo panis coctus eſſet, qui in altari conſecraretur. Huiuſmodi enim λεπτολεσχίαι nimiū curioſæ,tenues,& minutæ argutiæ, nimiū ſubtiles & ſophiſticæ quæſtiones, nimium nugatoriæ, futileſq; contētiones Græcos à Latinis diuiſerunt, vt iſta leuis diſputatio, qua mordicus tenebant Chriſtum in pane fermentato conſecraſſe,atq; eos,qui in azimis conſecrabant,hæreſeos damnādos eſſe temerè & iniquè cēſuerunt.Hæc ſunt Diaboli ſtratagemata,qui in rebus etiam adiaphoris Chriſtianos litigare facit, vt hæreſes, & monſtroſas quaſdam opiniones, poſt leuia ſchiſmata in Eccleſiā introducat,

1.Cor.11. faceſſat à nobis litigandi deſiderium & cõtradicendi libido, cum Eccleſia talem conſuetudinem non habeat, quam ſi noſtræ tempeſtatis infœliciſſimæ Hæretici ſacramentarij, contentionis cupidiores, quàm veritatis, voluiſſent agnoſcere, non tot & tãta, támque funeſta & luctuoſa bella mouiſſent, propter venerandiſſimum & auguſtiſſimum miſſæ ſacrificium, quod quidem offerendum ab ortu ſolis ad occaſum vſque, Malachias diuino afflatus ſpiritu vaticinatus eſt. Niſi enim veteris & antiquæ Eccleſiæ patres (qui multis ſeculis fuêre antequam inter Chriſtianos de huiuſmodi rę controuerſia naſceretur) in huius ſcripti interpretatione ſequerer authores, vererer equidẽ ne nouitatis me nimium affectatorẽ vniuerſi dicerent: Age vt quiſque ætate antecedit, ita ſententiam dicat ex ordine. Ire- Iren.lib.4. cap.32. næus qui principem locum authoritatémque in Gallicis Eccleſiis tenuit, hoc vaticinium de auguſtiſſimo Euchariſtię ſacrificio interpretatus eſt, lib. aduerſus Valentinianos quarto in omni loco, inquit Malachias, *Incenſum offertur nomini meo & ſacrificium purum.* Chriſtus nouam noui teſtamẽti oblationem docet, quam Eccleſia ab Apoſtolis

accipiens, in vniuerſo mundo offert Deo. Iuſtinus martyr & philoſophus in dialogo, quem cum Tryphone habuit, hanc veram & Catholicam interpretationem ſecutus in hęc verba prorumpit. De his, inquit, hoſtiis, quas tunc immolabatis, Deus per Malachiam vnum de duodecim loquitur: *Non eſt inquit, in vobis voluntas mea, nec ſacrificia veſtra è manibus veſtris ſuſcipiam, &c.* De hoſtiis, inquit, quæ ipſi Deo à nobis gentibus vbique offeruntur, id eſt, de pane Euchariſtiæ & poculo ſimiliter tum prædicit, cum ait à nobis nomen Dei gloria affici, à vobis autem pollui. In eundem ſenſum Malachię verba de Chriſtianæ miſſæ ſacrificio Diuus Auguſtinus variis in locis interpretatur, vtpote de Ciuit. Dei. lib. 18. cap. 35. & lib. 19. cap. 23. Sic & Euſebius Cęſarienſis lib. Euãgelicæ demonſtrationis cap. vltimo: ſimiliter & Tertullianus libris contra Marcionẽ. Poſt tot igitur graues & locupletiſſimos teſtes, nemo ſanæ mentis tantiſper dubitare deberet mẽſam Domini veteri & primarię Eccleſiæ olim ſacrificium fuiſſe, quod etiã ex noui teſtamenti ſcriptis luce clarius cõſtabat. Nam cum Chriſtus Dominus hanc ſacroſanctam menſam inſtitueret, dixit, ac-

Iuſt. in dialogo.

Aug.

Tertull. lib. 3 contra Marcionẽ.

cipite,& manducate, hoc eſt corpus meũ, quod pro vobis traditur: Græcè enim habetur, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, quod per præſens tẽpus interpretandum venit. Quid eſt corpus Chriſti in mẽſa Domini pro nobis tradi & dari, niſi pro nobis peccatoribus offerri? Huc accedit verbum, quo Chriſtus Apoſtolis imperauit, vt hoc ſacramentũ frequentarẽt, quod tũ ex linguæ Græcæ, tum Latinæ proprietate, offerre & ſacrificare ſignificat. Dixit enim Apoſtolis, Hoc facite in meã commemorationẽ. Facio Leu. 29. in hunc ſenſum accipitur, vt ſacrificare ſignificet: hoc eſt quod facies in altari, agnos anniculos per ſingulos dies iugiter, &c. Virg. in Buc. hãc verbi ſignificationẽ retinet, ſic ſcribẽs, *Cum faciam vitula, pro frugibus ipſe venito*. Eandẽ loquendi phraſim apud Cic. reperimus, lib. 3. de Nat. Deo. quãdo dicit, rẽ diuinã facere ſolemus nationi, &c. ποιέω, & δράω Græcis authoribus idẽ ſignificãt, veluti plures ex noſtris ſatis ſuperq; demõſtrarũt. Huius ſacrificij ab Eccleſia Antiochena frequẽtati, meminit Luc. Act. 13. erãt, inquit, Antiochiæ in Eccleſia quæ illic erat. quidã Prophetæ & Doctores, &c. λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ Κυρίῳ. Eraſmus vtriuſ-

Luc. 22.

que linguæ Græcæ & Latinæ peritiſſimus, ita vertit, ſacrificãtibus illis Domino. Quē quidē locū fideliter, eruditè, & appoſitè interpretatum doctiſſimi cenſent. Nam idem Lucas cùm Zachariæ patris Ioannis Baptiſtæ miniſteriū publicum deſcriberet, quod in ſacrificiis offerendis cōſtabat, iſta dictione Græca λειτουργία quæ à λειτούργω deducitur, vſus eſt. Hæc tamen ſic dicta eſſe velim, vt vulgatæ interpretationi nihil detrahatur, quæ totum Eccleſiæ miniſterium ſimul complectitur. Ex his ergo Scripturæ ſacræ locis cum tota veteri Eccleſia, menſam Domini ſacrificium eſſe, rectè colligimus, quod & Malachias longè antè vaticinatus fuerat, dicens, *Ab ortu Solis*, &c. Hebræorum Sacerdotes nulla ratione credere poterant, cultum Dei ſeruari poſſe, niſi & ipſi ſeruarentur, ſed vnà ſecum intercidere debere. Quapropter eorum temeritatem Vates arguens, docet nomen Dei ſummæ venerationi habitum iri Gentibus, etiam ſi ipſi Iudæi dignas & meritas impietatis ſuæ pœnas exoluerent. Hic locus nobis (qui Eccleſiæ Catholicæ titulo gloriamur) terrorem incutere debet. Verendum enim eſt, ne vineam ſuā Dominus

Luc. 1.

Marc.12. Deus aliis locet agricolis, qui vberiores & copioſiores fructus, quàm nos ipſi reddant. Siue enim tempus, quo vaticiniũ iſtud dictum eſt, ſiue aliud quando in omnem terram exiuit Apoſtolicæ prædicationis ſonus, intellexerimus, cultum Dei ſemper etiam inter Gentes purè, integréque ſeruatum fuiſſe reperiemus. Nam Gentes ab A-
Luc.11. brahami ſtirpe alienæ, quibus præfuerant Hyram Tyri Rex, & Regina illa Sabæa ob pietatem à Domino Chriſto ſummoperè laudata, Deum puriſſimè, ſanctiſſiméque coluerunt, vt Eunuchus ille, cuius vita Act. 8. deſcribitur, apud omnes fidẽ faciet. Naaman Syrus in regis Syriæ curia, Deum verum reueritus eſt. Cyrus & Darius à Prophetis edocti, Niniuitæq; ſuis etiam poſteris Iehouæ nomen magnum, ſanctum, & celebre tradiderunt: ne igitur abutamini, exiſtimãtes pietatem funditùs perituram, etiam ſi Dominus Deus de vobis pœnas ſumpſerit, & vineam ſuam vobis abſtulerit, illámq; locarit aliis agricolis, quod quidem plenè perfectéque venturum eſt, *cùm ab ortu Solis ad occaſum vſque magnum erit Dei nomen inter Gentes*. Duplicem ſenſum hæc propoſitio מִן innuit, nimirum magnũ fore

nomen

nomẽ Dei ab ortu Solis vſque ad occaſum,
id eſt, per vniuerſum orbem. Tunc tempo- *Gen.22.*
ris ſane adimplebitur promiſſio facta Abra
hæ, quando in ſemine ipſius benedicentur *Mat.3.*
omnes gẽtes: tũc ex lapidibus ſuſcitabũtur
eidem ipſi Abrahamo filij: tunc multi ve- *Mat.8.*
nient ab oriente & occidente, qui accom-
bẽt cum Abrahamo, Iſaaco & Iacobo, vbi
filij regni foras eiicientur. Ex quibus omni-
bus ſacræ ſcripturæ locis patres colligunt
Eccleſiam Catholicam eſſe contra Hære- *Aug. cõtra*
ticos, qui de ſua paucitate ineptè & inſo- *Donatiſtas*
lenter gloriari ſolent. Alterum quoque *Tom.7 paſ*
ſenſum iſta propoſitio complectitur, vtpo- *ſim Optat⁹*
te ortu ipſo atque occaſu Solis, eam diuini *mileuitan⁹*
nominis glorioſam & præpotentem ma- *contra Par*
gnitudinem probari. Quemobrem Dauid *menianũ.*
propheta regius dicebat, Domine Domi- *Pſal.8.*
nus noſter, quàm admirabile nomen tuum
in vniuerſa terra: Quoniam videbo cœlos
opera digitorum tuorum: & in alio pſal-
mo, Cœli enarrant gloriam Dei, &c. Satis *Pſal.18.*
autem momenti & ponderis hæc tanta re-
rum concordia, atque variorum cœli mo-
tuum cõſtantia & efficientia, habuit, ad ſu-
premum aliquem gubernatorem & Domi
num gentibus probandum: hunc ignotum *Act.17.*

Deum Athenienſes appellarunt, cui aram conſecratam Paulus vidit & probauit. Omnium enim motuum & viciſſitudinum pręcipuus index ac adminiſter Sol eſt: quapropter ex Solis ortu & occaſu dicit De⁹ nomẽ ſuum magnum eſſe in gentibus. Licet enim gentes potentiis eiuſmodi, quæ in cœlo viſendæ cõſpiciuntur, cultum defferrẽt, Deũ tamen primum omnium rerum authorem fatebantur, idcirco eaſdem venerabantur, vt ſequeſtris loco inter Deum & ipſos fungi poſſent. Quod ſi cum veſtra conferatur ipſorũ pietas & deuotio, ſacrificia, quę mihi offerũt, ſunt lõge perfectiora & excellẽtiora, quàm ſint incenſum, mola vniuerſáque ſacrificia veſtra, quæ quidẽ repudiaturus ſum & aliud illorum loco daturus, quod inter gentes ipſas ſanctè & religiosè offeretur, nimirum auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacrificiũ. Faxit Deus optimus, maximus vt hoc ipſum in Eccleſia purè, religiosè & piè ſemper colamus, atque mortẽ Domini eo ipſo annunciemus donec ad extremũ illud iudicium veniat, quo quidem ſuos fideles innumerabilibus bonis cumulaturus eſt, inter quos, vt velit nos annumerare, illũ ipſum ſupplices precabimur, cui laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Et vos polluiſtis illud, in eo quod dicitis menſa Domini cõtaminata eſt: & quod ſuperponitur cõtemptibile eſt cum igne, qui illud deuorat. Et dixiſtis, ecce de labore, & exuflaſtis illud, dicit Dominus exercituum, & intuliſtis de rapinis claudum & languidum, & intuliſtis munus. Nunquid ſuſcipiam illud de manu veſtra dicit Dominus? Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat debile Domino: quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in gentibus.

ILli qui legẽ & prophetas iactitãt, rubore ac pudore affici ſuffundiq; deberẽt, cum ab iis, qui ſint exleges, ſeſe ſanctitate pietateque ſuperari videãt. Tales iudæi extiterũt, quod nõ ſemel illis Chriſtus exprobrat & obiicit. Regina Auſtri inquiebat, ſimul & Niniuitæ ſurgent in iudicio, & condemnabũt generationẽ iſtã: cum illa quidẽ è partibus Auſtri Hieroſolimã profecta ſit, vt à Solomone ſapiẽtiſſimo in pietate erudiretur, & Niniuitę pœnitẽtiã egerũt vt primũ Ionę prędicationẽ audiuerũt. Et certè oues ipſę erãt, que quãuis nõ eſsẽt de Iudæorũ ouili, eas tamẽ ad caulas Chriſti, Apoſtolorũ prędica- *Luc. 11.* *Ioan. 10.*

tione adducere oportuit, ſicque magnũ celebréque fieri nomẽ Dei inter gẽtes, etiamſi Iudæi, non ſolum impuritate vitæ illud polluerint, ſed etiam in eo quod dixerint *menſam Domini pollutam eſſe.* Poterat ne Dominus maiorẽ fauorem & beneuolentiam erga populum Iudæorũ clarius teſtari, quàm inter ipſos focum & mẽſam cõſtituere? ipſi vero huiuſmodi familiaritatis indiciis abuſi ſunt, parui facientes, quod à Deo optimo maximo inſtitutũ fuerat. Mẽſa ſanè Domini cum omni apparatu contemptui ab illis habebatur, tum ob prouentus tenuitatem, tum quia negligentiam populi in ſacrificiis procurãdis fouebant, dicendo Deũ nõ magni facere illa craſſa & pinguia ſacrificia, atque perinde eſſe qualia extiterint, cũ Deus affectum & nõ illa externa comprimis obſeruet. Peculiare etiam fuit hiſce ſacerdotibus, ſuis peruerſis interpretationibus & gloſematis mãdata De corrumpere & deprauare, vt ſuæ inſatiabili auaritiæ ſatisfacerẽt:
Mat.13. Quod Chriſtus in illis arguit Mat.13. quare inquiebat, tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Hoc in loco taxari poſſunt hominũ huius ſeculi mores, qui nulla prorſus religione tenentur, in his,

quæ ad Dei cultum & ſalutis rationẽ pertinent, totum Dei verbum potius corrumpentes, quàm aliquid lucri & quæſtus his decidat: ipſis etiam *menſa Domini* cum vniuerſa religione *contemptibilis eſt*, qui ioco dicere ſolent, noſtra non refert de religione contendere nec diſſerere, eorum inquiunt intereſt, qui pileum quadratum deferunt: ſunt iſtis pene ſimiles, quibus & menſa & quod mẽſæ ſuperponebatur, cùm igne qui illud deuorabat contemptui erant: quique nec ſumptus in religione facere, nec ingredi pericula neque labores ſubire volũt, immo vero nihil cum maiori tædio & moleſtia obeunt, quàm quæ ad Dei cultum & religionẽ pertinent, horum igitur propheta faſtidium carpit. *Et dixiſtis* inquit, *ecce de labore, & exuflaſtis illud dicit Dominus exercituũ.* Verba iſta Phariſaiſmum ſapiunt, ſatíſque ſacerdotibus accõmoda: nam ſibi perſuadebant iuſtos eſſe propterea quod bis in hebdomade ieiunabãt, & decimabãt quæcunque poſſidebant, omnéſque ſumptus & impẽſas pietati neceſſarias, ſcilicet, inſumebant, etiamſi iam diuturno exilio, & vrbis atque templi ædificatione eſſent exhauſti. Dicebant igitur *en defatigatio*, perinde ac ſi *Luc.18.*

diceret Malachias:ſoletis adducto ſacrificio ſinguli alius alium ita alloqui:oh quàm ego defeſſus ſum,quàm defatigatus, ferēda hac pecude,in humeros ſublata, illud nimirum verbis ſuis innuens,pecudē eā ingentē,pinguē & opimā eſſe : idque vt magis expreſsè geſtu etiā cōfingat, vehemēter ex imis pulmonib⁹ anhælans,ſimulata ſpirit⁹ anguſtia, oſtētat. Cōtra huiuſmodi hypocritas inuehitur tū Solomō Prouer.29.abominatio iuſtorū vir tortuoſus: tū etiā Dauid Pſal.5.virū ſanguinū & doloſum abominabitur Domin⁹. Talia eñ munera quę mortales inuiti offerūt,nō cōprobat Domin⁹, cum Hylarē datorē diligat,qui etiā cum fecerit id quod debuerit & potuerit, ſeſe ſeruū inutilē eſſe, ingenue fateatur. Iſti verò de ſumptibus & impēſis cōquerebātur,quę in vſum& cultū tēpli inſumebātur,cum tamen ſuas ædes ad luxū & voluptatē extruxiſſent:ſicut in Aggeo videre licet. Tantū abeſt autē vt multū
Agg.1.
defatigarētur in ferēdis pecudib⁹, quas immolabāt quę erātadmodū graciles ac tenui cute, Epicureorū diis monogrāmis perſimiles,& adeo macilentę, vt vix anhelitus vim ſuſtinere poſſent. Adhęc nullū laborē in afferēdo,ſed nec etiā nutriēdo pecudē cōſum pſerant,quippe quæ non ipſorū labore, ſed

alieno magis, pauperum videlicet & oppreſſorum conſiſtebat, à quibus furto, vi & calumnia ipſam pecudem abſtulerãt: ideò adiicit Propheta, *Infertis quoque quod raptum eſt*, &c. Vult enim Dominus Deus vt ipſum ex ſubſtantia noſtra, & non ex his quæ dolo, vi, violentia, & rapina comparantur, honoremus. Hinc Tobias filium ſuum docebat, vt ex bonis ſuis, & non alienis eleemoſynas pauperibus tribueret. Videant ergo fœneratores & tyranni, quid illis proſunt templa & xenodochia conſtruxiſſe, anniuerſaria fundaſſe fortunis & pecuniis, quas à pauperibus ac ſubditis tyrannide, & prauis artibus corraſerant & extorſerant. Non placatur certè Domin⁹ iis, quæ furto rapta ſunt, quemadmodũ nec claudis & lãguidis animalibus. Dicit igitur, *Vtrum ſuſcipiam illud è manu veſtra?* ac ſi diceret minimè. Propterea quòd manus veſtræ pauperũ cruore plenæ ſint. Quòd ſi aliquando contigerit Deum placari, non horum Sacerdotũ muneribus, ſed miſericordiæ tribuendum eſt. Quomodo enim huiuſmodi Sacerdotes fuiſſent Deo grati, qui ita frigidè vota ſua reddebant? *Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens, immolat de-*

Prou. 3.

Tob. 4.

bile,&c. Votum erat quoddam ſacrificij genus, quod quidem ſpontè vltroq; fieri ſolebat. Nemo vt votum emitteret aſtringebatur, ſed concepto & nuncupato voto ſatisfacere, neceſſe erat. Iſti quidem malè vouebant, veluti Hebræa dictio ſonat(נוֹכֵל dicitur, qui malum animo verſat, & aſtutè ſeſe gerit in rebus adminiſtrandis) ſed peius vota ſua perſoluebant: nam animalia maculis infecta, monſtroſeq; deformia mactabãt & offerebant, etiamſi in grege ſuo maſculum pecus, i. integrum & perfectum haberent. Hoc in loco eorum mores Vates breuiter & ſtrictim attingit, & Satyrico dente carpit, qui cùm in periculis verſantur, in vouẽdo admodum prodigi ac liberales ſunt: in ſatisfaciendo verò votis conceptis, ſunt nimiũ auari, ſordidi, atq; illiberales. Cæterũ & ipſi etiũ perſtringi mihi videntur, qui cũ opibus multis & magnis, ampla & honeſta familia ditentur, Deo optimo, maximo minorẽ partem, eámq; viliorẽ offerunt: quòd ſi in eorũ familiis extiterit aliquis animi vitio laborãs, vel luſcus, claudꝰ, gibboſus, ac penè Æſopo deformior, Eccleſiæ miniſterio deputatur, vt reliqui facilius nobilitatis gradũ, & decus defendere ac tueri poſſint.

Hæc tamen ſic dicta eſſe velim, vt nequid vouendi conſuetudini antiquiſſimæ detractum eſſe videatur. Nam Apoſtolorũ temporibus quaſdam viduas extitiſſe, quæ miniſterio Eccleſiæ ſe ſe voti religione obſtrixiſſent, ſatis conſtat ex canonibus, quos Paulus prę̨ſcripſit. 1. Tim. 5. Iuniores viduas inquit recuſa: poſtquam enim laſciuire cœperint aduerſus Chriſtum, nubere volunt: ex eo damnandæ, quòd primam fidem irritam fecerint atque reiecerint. Poſtquam enim voto nuncupato in Eccleſiæ miniſteriũ humaniter & hoſpitaliter admiſſæ fuerunt, mox bonis & copiis Eccleſię pinguiores & inſolentiores effectæ, laſciuiunt, petulantes euadunt, & tandem vota impie negligunt, violant & nubere geſtiunt. Quis enim morem hunc vouendi quem concipiebãt candidati ante baptiſmũ, ab Apoſtolis & ad noſtra vſque tẽpora promanaſſe, & Apoſtolicum ritum eſſe (niſi impudentiſſimus) negare auderet? Huius voti meminit Tertullianus lib. De ſpectaculis, dicens: cum aquam ingreſſi, Chriſtianam fidẽ in legis ſuæ verba profitemur, renunciaſſe nos diabolo & Pompæ & Angelis eius, ore noſtro conteſtamur. Appertioribus ac cla-

tioribus verbis iſtud docet Chriſoſtomus præfatione in Ioannem: vbi ex voto in baptiſmate concepto, quo nos totos Chriſto vouemus, anſam arripit inuehendi in eos, qui adhuc ſeculo mancipati erant. Non poſſum ſanè quin hoc in loco quorundam impudentiam admirer atque deteſter, qui vt odium in monachos ſtruant, paſſim obtrectantes & conuitiantes ſpargunt: eos vitam cœlibem vouere non poſſe: Propterea quòd donum Dei ſit: quaſi fides donum Dei non eſſet, atque diabolo renuntiare pompiſque illius ſe ſe perpetuò abdicare, (quod quidem in baptiſmo vouemus) ſine dono & gratia Dei adimplere poſſemus. Vouendum igitur, modo non temere, & Deo optimo maximo, & quæ vouimus, gratia ipſius interueniente reddere ei. Cui honor, poteſtas & imp ſeriumin ecula ſeculorum Amen.

HOMILIA XI.

Et nunc ad vos mandatum hoc ô ſacerdotes: ſi Noluerítis audire, & ſi nolueritis ponere ſuper cor, vt detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris, & maledicam illis, quoniam nō poſuiſtis ſuper cor. Ecce proiiciam vobis brachium, & diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum & aſſumet vos ſecum. Cap. 2.

CVm villici, diſpenſatoréſque myſteriorum Dei tantum ſimus, noſtræque diſpenſationis tandem aliquando ratio ſit illi reddēda, nimirum, eo die quo nobiſcum rationes accepti & expenſi ſubducturus eſt: illi ipſi qui maiora ſubeunt munia, difficilius rationes ſuas reddent, verendum etiam ne ipſi apud Dominū deferātur & merito rei peragātur, vt qui malè diſſiparint ipſius bona. Hoc modo Hebręorū ſacerdotes, qui plus talētorū cęteris à Domino Deo acceperāt, durius ac ſeuerius præ aliis arguuntur, quia vt frugi miniſtri illa non bona fide expendiſſent. *Nūc igitur ad vos mandatū hoc ô ſacerdotes, &c.*

Quaſi diceret, nunc igitur vobis hoc præcipitur ô ſacrifici, vitiatorum huiuſmodi ſacrificiorum receptatores: veſtrum etenim fuerat hoc interdicere, atque populum admonere, ne illiuſmodi munera indigna & minus idonea, me præſente immolarentur, quemadmodum & lege ipſa interdicũtur. Timor enim Dei & eius purus atque ſyncerus cultus, omnium virtutum fons eſt, à quo cuncta bona cõtinenter & aſſiduè ſcaturiunt, promanant & effluunt: cum igitur vtrumque ſacerdotes negligerent, quorum intererat ipſa deffendere ac tueri, eos ſatis ſtoicè, dure ſeuereq; vates inſectatur. Docemur hîc quomodo tractandi ſint mali & falſi antiſtites, quorum vel negligentia vel malitia, Dei cultus impiè profanatur & funditus euertitur, qui quæſtũ ſuum potius ſectantur, quàm gregis commiſſi dignitatem, vitam ac ſalutem curent. Hinc enim omnium malorum noſtrorũ cauſa & origo. Verũtamen qui ob mercenariorũ & pſeudopaſtorũ impuritatẽ, negligẽtiam & auaritiã temerè Eccleſiam deſerunt, & leuiter ac imprudẽter ad hæreticorũ impios greges transfugiunt ac tranſuolant, reputare diligenter & conſiderare deberẽt, quod

ager Dominicus non erit ſpinis, dumis, lolio & Zizaniis ita purgatus, quouſque Dominus miſerit Angelos ſuos tẽpore meſsis, (id eſt iudicij poſtremi) qui agrum Eccleſiæ planè perfecteque ſarrient, runcabũt & exoſſabunt. Propterea dicebat Auguſtinus in lib. Contra Parmenianũ Donatiſtam & ſuos aſſeclas, Zizaniam & Paleam Catholicę ſegetis copioſiſſime accuſent, ſed nobiſcum ferre patientiſſimè, non recuſent: veluti Malachias noſter, qui à ſynagoga (quæ tunc temporis Eccleſia erat) ob ſacerdotum vitia non ſeſe ſubduxit, ſed ipſos patientiſſimè, illorum peccata ferens, fortiſſimè inſectatus fuit. Sacerdotes interim excuſationes multas prætexere poterant, paupertatem videlicet populi, quam fouere in religione ſatius erat cum ſuis tenuiſſimis numeribus, quàm cum verbis minacibus abſterrere ac abigere. At verò vates noſter has frigidas, vanas & friuolas excuſationes pro nihilo ducit. Ex his quoq; colligere licet, non ſolum in religione negligẽtiores & ſegniores argui, ſed eos etiã, qui ſua præpoſtera lenitate & clementia vitiis humanis blandius indulgent, & in hominum ſceleribus obdormiſcũt & conniuẽt. Quã-

Mat.13.

obrem Eli ſacerdos & populi Iudex, filiorum ſuorum vitia diſſimulans, morte mulctatus eſt. Regibus etiam, qui Eccleſiæ nutricij eſſe debent, & paſtoribus, è quorum manibus ſanguinē ouium perditarū Deus exquiret, male ſucceſſit, eo quòd remiſſius & lenius cum Hæreticis egerint, quàm par fuerit. Deus bone quot milia hominū periêre paſtorū laruatorum diſsimulatione, negligentia & inſcitia? Ne igitur mirum alicui videatur, ſi vndiquaque ſcomatibus, conuitiis, ſalibus & dicteriis petantur, ſi aſini purpurati, beſtiæ cornutæ & porci bipedes paſsim à vulgò vocitentur: cum ipſorum intereſſet verum & ſyncerū Dei cultum aſſerere, tueri ac deffendere, & ſæpenumero ſuam potius vtilitatem, quàm ipſius Dei quærent gloriam. Chriſtus enim ſuam doctrinam hinc eſſe veram probabat, quia non propriam gloriam venabatur, ſed patris ſui. Diſcant igitur Verbi Dei miniſtri ſemper gloriam eius quærere, ne illis vitio vertatur, vt & ipſis ſacerdotibus, quibus vates maledictionem minatur, *ſi noluerint audire, & niſi applicuerint cor ſuum, vt nomen Dei colant.* Tres vias effugiendi propheta complectitur: Prima eſt,

Eſa.49. *Ezech.3.* *Ioan.8.*

ſi verbum Dei audierint, per quod Cornelium cum tota familia ſua ſeruatum fuiſſe, Petrus docet Actorum decimo: quo etiam filij Dei à diaboli filiis ſecernuntur. Secunda via eſt, vt ſuper cor Verbum Dei ponant, id eſt, vt animum aduertant, & alta mente reponant, quod audierint, diligentique meditatione in ſuum vſum accommodent, vt Chriſtus *Mat.13.*
in parabola ſeminis eleganter docuit. His duabus tertiam adiicit, nimirum vt colant nomen Dei, id eſt, ne cultus diuinus veniat in contemptum: Nam finis totius Eccleſiaſtici miniſterij eſt, vt cultus & honor Dei inter homines conſeruetur: quod ſi contigerit miniſtros animum aliò transferre, vt pote ad luxum & auaritiam, Deus execrationem in illos immittit, & benedictionibus illorum maledicit. Benedictiones enim Iudæis Deus Impertitus fuerat, ab eo iam inde tempore, à quo templi ſtructuræ & ædificationi manus ipſi admouiſſent: poſtquam verò ſegnes & deſides eſſe cœperunt, in his, quæ ad cultum Dei pertinebant; ipſorum fœlicem ac proſperam conditionem ſuſque deque inuertit, & pro-

ſperis aduerſa cõmutauit. Nihil certè mortalium animos magis torquet, quàm ſi ex aliquo dignitatis faſtigio, quis in imũ deiiciatur, & vulgo contemptus & inglorius habeatur, qui ab omnibus honore maximo affici ſolebat, quod & Hebræorum ſacerdotibus accidit, eo quod per Prophetas moniti vt reſipiſcerent, Deiq; nomini honorem ſuum tribuerent, & apud omnes vendicarent, contempſerunt atque neglexerunt: Igitur per Prophetã dicebat Deus, *mittam vobis maledictionem, &c.* Quemadmodũ enim Dei benedictio bona omnia, ſic & eius maledictio, omnium malorum genera complectitur. Veteris & antiquę Eccleſię patres aliqui, (vt Thęodoretus) De ipſo ſacerdotio, cui maledicturus erat Dominus, interpretati ſunt. Diuus verò Hieronimus de ritibus ſacerdotum, & iis quæ ex diuina inſtitutione poſſidebant, intelligit. Sunt alij, qui ſolemnes illas benedictiones comprehendi volunt, quarum formula. Num.6. Habetur, quæ à ſacerdotibus ſummis votis expeti ſolebant. Omnes iſtos ſenſus propheta noſter complecti videtur. Vult enim dicere eos ipſos infœliciſſimos fore, ac infœlicitatem allaturos eſſe omnibus,

bus, qui fauſtum aliquid & bonum ab ipſis expectabunt & ſperabunt. Hunc ſenſum ex conſequentibus innuiſſe ſatis conſtat. *Ecce vobis proiiciam brachium, &c.* Dominus Deus vobis faciet, quemadmodum Domini ſeruis ſuis infenſi atq; irati facere ſolent. Nam cùm ſerui dapes ſordidas ad menſam afferunt, Domini ſordidum miniſterium auerſantes, extento brachio, in ipſorum ſeruorum facies cibum potumque reiiciunt. Dicit ergo *proiiciam vobis brachium, & ſpargam ſtercus in facies veſtras: ſtercus inquam ſolemnitatum veſtrarum*, id eſt eorum animalium vitiatorum, quæ diebus veſtris ſolemnibus ad altare præſentatis. Ac ſi diceret, ſicut inter ſacrificãdum nullam prorſus honoris mei rationem habuiſtis, ita & ego vobis ſummum dedecus ex eodem illo ſacrificio inuram: etenim quod in animalibus abiectiſsimũ fuerit, puta oletum feda alui deiectio, eo vobis ora obliniam, id eſt efficiam vt per ſummum dedecus ignobiles & abiecti vitam trahatis. Par pari referetur, vt vulgo dici ſolet: vos me contemptui habuiſtis, & ipſi viciſsim iam contemnemini, nõ ſecus ac ſi facies veſtræ ſtercoribus oblinitæ: quæ quidem *tollent vos ad ſe*, id eſt ef-

ſiciant, vt nihil præter ſtercus eſſe videamini. Hæc enim Eccleſiaſtis adulatoribus & aſſentatoribus, magnatum vitia diſſimulãtibus, ſæpius contingunt, vt videlicet habeantur deſpicatui, cum ab his, quibus adulantes aſſentabantur, tum etiam à plebeis hominibus, quos in religione fouere debebant. Non enim pluris fiunt, quam ſtultus quiſpiã aut ridiculus morio, qui ſtercore, luto, cœnoq; oblitus, vel farina conſpurcatus per vicos vagatur ac diſcurrit. Equidẽ valde vereor ac timeo, ne ſacerdotũ noſtri tẽporis conditio, his etiam deterior iam ſit. Vaticiniũ à quodam Ioanne Burgenſi frãciſcano diuinitus ęditũ ferunt, quo dicebat ſacerdotes ob ſua vitia, tam vehemẽti odio tandẽ aliquando ab omnibus habendos vt ſtercus bubulũ capitibus ſuis imponere cogerentur, ne raſus vertex periculum illis afferret, quod etiam veteri germanorũ oraculo dictum ferunt. Perſecutione certè hugnotica, cęteras hæreticas crudelitate ac tyrannide ſuperante, hæc omnia multoque duriora & grauiora ſunt paſſi pauperrimi & calamitoſiſſimi ſacerdotes noſtrę recentis memoriæ, à qua nos liberare dignetur Deus optimus maximus. Cui laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum Amen.

HOMILIA X.

Et ſcietis quod miſerim ad vos mandatum iſtud: vt eſſet pactum meum cum Leui, Dicit Dominus exercituum. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis: & dedi ei timorem & timuit me, & à facie nominis mei pauebat. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labiis eius: in pace & in æquitate ambulauit mecū, & multos auertit ab inquitate. Labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirēt ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. Vos autem receſſiſtis de via & ſcandalizaſtis plurimos in lege: irritum feciſtis pactum Leui, Dicit Dominus exercituum. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, ſicut non ſeruaſtis vias meas, & accepiſtis faciem in lege.

GAllorū prouerbio celebratū eſt, ſtultum nūquā credere, niſi mala prius, quę ſibi cauenda prænuntiantur, in ſe ipſo miſerè ſit expertus. Phryges ea incredulitatis nota inuruntur, cum ſerò ſapiant, ac experientia, (quæ ſtultorū magiſtra dicitur) ſuóque periculo diſcere velint: Hebræorū Sacerdotes, vnà cum populo, ſuis impēſis

ſuoque maximo damno didicerunt, quid ſit fidelibus Dei prophetis non credere ac rebelles eſſe, nec monitis eorum parere: nam quadrageſimo circiter anno, poſtquam Chriſtus Dominus in cœlos aſcendit, templum ac ſacerdotium amiſerunt, ciuitate ſimul & patria pulſi ſunt. Scietis igitur inquiebat propheta tunc temporis, *quod miſerim à vos mandatum hoc.* In iudicio enim extremo, quando omnium oculi aperientur, ſcient falſi paſtores, qui ſe potius, quàm oues curarũt, quid præceperit illis Dominus, vt videlicet illas ipſas páſcerent, & ſi contigerit illas per deuia quæque errare, ad caulas humanè benignéque reducerent, & lana lacteque contenti, eas non excoriarent: quos quidem Dominus Deus non deſinit monere, vt ſint memores pacti, quod cum Apoſtolis iniit, ſicuti per Malachiam quondam veteres illos ſacerdotes monuerat, dicens, *ſcietis quod miſerim ad vos mandatum hoc, vt eſſet pactum meum cum Leui.* Hebraice ad verbum ſic habetur לִהְיוֹת בְּרִיתִי אֶת לֵוִי׃ id eſt, ad eſſe pactum meum cum Leui: Gal. *Pour eſtre mon alliance auec Leui*: ac ſi dice-

ret, ob pactum quod pepigi cum Aarone & Phinee de tribu Leui, ego vos moneo, ne fruſtra cum illis de ſacerdotio ſempiterno pepigerim. Alij ſic locum iſtum interpretati ſunt, quaſi propheta ſacerdotũ effugiis obuiam iret: ſolebant enim prophetis futuram ipſorum ruinam minitantibus, fœdus illud perpetuum obiicere, *Num.25.* quod Deus optimus maximus cum Leuitici generis patribus inierat, quaſi omnia illis impunè licuiſſent, nec potuiſſet Deus in illos animaduertere, niſi fœdus illud ſanctiſſimum violaſſet. Sed tantum abeſt inquit ab imminutione & fractione fœdus, cum pœnas meritas de vobis ſumam, vt magis etiam ac magis conſtans permanenſque reddatur, quoties in vos ſæuerius animaduertam. Epiſcopi Apoſtolorum atque Apoſtolicorum virorum ſucceſſores, qui de Apoſtolicis cathedris gloriantur, huiuſce animaduerſionis meminerint. Scimus quidem atque ingenuè fatemur ſedes Apoſtolicas, & in illis Epiſcoporum ſucceſſiones, veriſſimam patribus notam extitiſſe, qua veræ & Catholicæ Eccleſiæ à falſis & adulterinis ſemper ſint

Tertull. de Præſc. Ire. lib.3. cõtra hæreſes Auguſt. Epiſt. 165. Optatus contra Parmen.

diiudicatæ. Interim latinis potius, quàm Græcis non obligatur Deus. Diuus Petrus Antiochiæ ſedit, Paulus Corinthios, Athenienſes, Philippenſes & quam plurimos alios docuit: Ioannes Euangeliſta Epheſi diem clauſit: Marcus Alexandriæ, & cæt. Videmus tamen omnes iſtas Eccleſias paſtoribus Catholicis deſtitutas, atque maiori ex parte Mahumeticæ ſectæ nomen dediſſe. Iſthæc nos exempla terrere, & pacti cum Petro ſanctè initi conditiones religioſiſſimè ſeruandas eſſe, auribus noſtris inculcare deberent: alioqui rei, nocentes & criminoſi puniemur, vt iſti ſacerdotes Leuitici generis, quorum vita maximè aliena fuit ab his patribus, quorum ſucceſſores eſſe gloriabantur. At vero anthiteſim conſideremus. *Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis.* Hæc per conceſſionem dicta eſſe videntur: ſit ita inquit Deus, ore vatis Malachiæ, vt cum Aarone & Phinee pepigerim fœdus, ea tamen conditione atque his legibus, vt me timerent ac reuererentur. Ideo dedi eis timorem & timuerunt me. Timor enim in ſacris literis plerumque religionem ſignificat: vnde inter-

pres Caldæus ita legit, *& dedi ei diſciplinam legis meæ, compleuit, & timuit à facie mea, à facie nominis mei timuit ipſe: Vos autem receſsiſtis de via*, id eſt de moribus eorum ſacerdotum, qui prima illa ætate fuerunt, & Deum purè ſanctéque coluerunt, atque ea ipſa ſacrificia, quæ lex integra præcipiebat & non vitiata, quemadmodum & vos offerebant. Ad hæc non tantum à via receſſiſtis, ſed etiam multos offendiculo poſito, in lege impingere & errare feciſtis. Ipſi vero, ab impietate multos, & doctrina & morum exemplo auerterunt. Fœdus etiam meum ſanctiſſimè ſeruauerunt: vos verò veſtris perditis & nefariis moribus corrupiſtis, dum pietatem in quæſtum vertiſtis: propterea eorum gloria coram toto mundo aſſeritur, in ore omnium bonorum eſt ac magnifice predicatur: vos vero contempti & abiecti eritis, etiam coram ipſis, quos veſtri nominis quondam ſtudioſos habuiſtis. Nam ruptis fœderis conditionibus, rumpatur & fœdus neceſſe eſt.

Cum igitur lipis & tonſoribus tritum ſit,

vos eas rupiſſe, nolite iniquo animo ferre, ſi dignas errorum delictorumque pœnas pertuleritis. Prophetæ verba nobis accommodari poſſunt. Chriſtus enim fœdus inniit cum Petro confitenti ipſum filium Dei viui (quando alij nutantes, dubij & ancipites exiſtimabant eſſe Eliam, alij vero Ioannem baptiſtam, aut quemquam ex veteribus prophetis) dicens, tu es Petrus & ſuper hanc petram ędificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt ei: Ioannis quoque vltimo poſtquam ter petiit ab eo ſi plus omnibus aliis ipſum diligeret, & reſpondiſſet, tu ſcis Domine, quia amo te, dixit, paſce agnos meos, paſce oues meas; Cum igitur nos ſacerdotes ipſum Chriſtum tam frigidè coram mundo confiteamur, ac minus omnibus liis illum diligamus, quid tandem poſthac nobis aliud expectandum eſt, quàm nos ſemper magis inglorios, contemptos, & abiectos fore ab omni populo, qui nos ſummæ venerationi habere ſolebat? Hinc Raſi, laruati, & Aſini bipedes ab iis, qui nobis nihilo ſunt meliores, paſsim vocitamur: dabit Deus his quoque finem, ſi

Mat 10.

Ioan. 21.

mores noſtros reformauerimus, atque patres illos tum veteris, tum noui teſtamenti ſecuti fuerimus. *Lex veritatis in ore ipſorum fuit, nec fuit deprehenſa in labiis eorum iniquitas.* Non fuerunt antiqui ſacerdotes iſti ex eorum numero, qui canes muti alibi dicuntur, aduerſus lupos rapaces non valentes latrare, quia lex veritatis in ore ipſorũ fuit, id eſt, in linga promptam legem Domini habuerunt, non omnia diſſimulauerũt, neque ſceleratis blanditi fuerunt. Et iniquitas non fuit in labiis eorum, id eſt non falſis interpretationibus corruperunt legem Domini, quam in ore habuerunt. עַוְלָה Hebraicè habetur (pro quo interpres iniquitatem vertit) quod ſignificat propriè cogniti iuris peruerſionem & deprauationem. Igitur qui cognitam legem ſuis gloſematis & falſis interpretationibus corrumpunt, deprauant & peruertunt, vt ſuis prauis affectibus inſeruiant, Aaroni Eleazaro Phineæ omino diſſimiles ſunt, nam *In pace & rectitudine cum Deo ambulauerunt* : Hoc eſt legis regulã ita direxerunt, vt neque ad dexterã, neque ad ſiniſtram deflexerint, ſed λεωφόρῳ potius, id eſt via recta & regia, quam lex præſcribebat, ingreſſi ſunt: vt homines *Eſa.56.*

emendarent corrigerent & ad meliorem, frugem atque ordinem adducerent. Finis enim Eccleſiaſtici miniſterij eſt, vt qui à fide & recta via declinarũt, edoceãtur quid facto ſit opus, quò in viis Domini rectè ambulent: *Nam labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, &c.* Totam miniſterij Eccleſiaſtici rationem hoc in loco propheta cõplectitur, ipſos enim miniſtros angelos, nuntios & legatos Domini exercituum pronuntiat, quo quidem epitheto Chriſtus Euangelij ſui præcones afficere dignatus eſt, nam Apoſtoli dicti ſunt, cuius rationem aſſignat Paulus, videlicet quia Chriſti nomine legatio-
2.Cor.5. ne fungimur, tanquam Deo obſecrãte per
Luc.10. nos. Qui igitur illos audiunt Deum in ipſis loquentem, audiunt, & qui eos ſpernũt, illum, cuius legati ſunt, ſpernere, Chriſti ſententia & iudicio cenſentur. Propterea ne
Luc.16. quorundam temeritatem imitemur, qui cum diuite epulone, doctores aliquos ex mortuis ſuſcitandos præſtolantur. Habemus miniſterium publicum atque ordinarium cuius ſacerdotes noſtri, miniſtri ſunt. Igitur labia eorum ſcientiam cuſtodire debent: Id ſane cuique ſacerdoti conſentaneum foret, vt labia haberet ſcientiſſima &

inſtructiſſima omnium ſacrarum rerum, quæ in lege continentur, quo videlicet populũ, pro eo ac lex ipſa iubet edocere poſſit. Leuitici. 10. ſacerdotibus præcipitur, vt doceant filios Iſraël omnia ſtatuta, quę Dominus ad eos per Moſem loquutus eſt. Itidem Deu. 33. Docebunt iudicia tua Iacobum, & legem tuam Iſraelem: Quocirca ex ore eius populus legem requiret: ſimiles eſſe debent docto & perito ſcribæ, qui legis notitiam ceu in penu quodam aſſeruẽt, vt de eo proferre poſſint, quicquid Eccleſiæ vtile ac neceſſarium fuerit. Hoc innuebat & protendebat olim, veteris ſummi ſacerdotis ornatus ille miſticus: Nam ad quid mala illa punica, & aurea tintinnabula in veſtitu niſi vt flagrantia bonæ vitæ, & tinnitu prædicationis plebem oblectarent? Faxit Deus ne ſimus tantum nomine & habitu ſacerdotes, immo verò διδάκτικοι, id eſt docendi facultate præditi, vt cum plebs legẽ Domini ex ore noſtro requiſierit, perfectéque à nobis edocta fuerit, Deum ipſum benedicere & collaudare nobiſcum non ceſſet, cui laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Math. 13.

Exo. 28.

HOMILIA XI.

Nunquid non vnus pater omnium noſtrûm? Nunquid non Deus vnus creauit nos? Quare ergo deſpicit vnuſquiſque veſtrum fratrem ſuum, violãs pactum patrum veſtrorum? Tranſgreſſus eſt Iuda, & abominatio facta eſt in Iſrael & in Hieruſalem: quia contaminauit Iudas ſanctificationem Domini quam dilexit, & habuerunt filiam Dei alieni. Diſperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magiſtrum & diſcipulum de tabernaculo Iacob, & offerentem munus Domino exercituum.

SI Eccleſiæ paſtores (quorũ intereſt gregem ſacroſancta Dei lege paſcere, & ipſum aduerſus leonis ſæuientis rabiem, atque draconis inſidiantis verſutiam tueri, ac deffendere) ſuũ officium negligunt, cõtemnunt & pro nihilo ducunt, illi ipſi vna cum grege, in ſcelera & flagitia nefaria & impia ruunt ac prolabuntur. Ecquid, amabo, matrimonio ſanctius, antiquius, & ad ſocietatem humanam conducibilius eſſe poteſt? Huiuſce tamen matrimonij caſti & legitimi leges, quas à Deo optimo maximo acceperant, impunè à minore ad maximum vſ-

que,nefariè contemnebant & impiè violabant. Vxores enim ſuas Iſraeliticas,itineris labore tabeſcentes ac deformatas, & ſolis calore fere conſumptas atque torridas, repudiabant;alias vero exoticas, & à propria familia alienas, ex requie nitidas & pulchras, contra Dei præceptum,vt Eſdræ libellus teſtatur,ducebant. Quin aliqui fuere, qui Iſraeliticæ vxori alienam adiungerent, cui potiores in amore partes deferrent. Vt igitur huius ſceleris & flagitij magnitudo,ac grauitas agnoſcatur, totius rei rationem paulò altius vates repetit. *Nunquid non vnus pater omnium noſtrum?* fratres enim ſumus ab eodem patre Iacobo, tam mares quàm feminæ, nati: Omnis etiam ſpes & fiducia noſtra in vnum eundémque Deum reponitur, à quo creati & in rerum naturam producti, hanc vitam hauſimus. Cur ergo quiſque cum fratre ſuo, cuius ſorores & filias iniuria afficit, perfidè agit? Duo enim neceſſitudinis & beneuolentiæ ſupremi gradus ſunt, Alter eiuſdem generis, alter eiuſdem numinis, atque religionis eiuſdem communione nititur. Vt Ioſephi fratres cum ipſo gratiam inirent, & ſceleris in eundem admiſſi non

Eſdr. 9. & 10.

recordaretur, vtriuſque neceſſitudinis gra
Gen.50. dum in ſua oratione propoſuerunt. Obſecro inquiebat Rubem vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum, &c. Nos quoque oramus, vt ſeruis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc: id eſt, eiuſdem Dei patrij cultoribus, peccatum illud & ſcelus in te commiſſum ignoſcas. Quo vis orationis duobus iſtis firmata ac fulta gradibus neceſſitudinis & beneuolentiæ, Ioſephum ad lachrymas prouocauit, & vt fratrum ſuorum miſereretur effecit. Cum igitur illi ipſi aduerſus quos conuertit orationem ſuam Malachias noſter, eſſent eiuſdem generis (vtpote ab Abrahamo, vel potius Iacobo oriundi) atque eiuſdem nominis, tantum abeſt, vt ſuas vxores Iſraeliticas, laborum ſuorum in exilio comites fideliſſimas atque miniſtras è ſuo conſortio expellere ſatis iuſtè poſſint, & in eorum locum exoticas ſubſtituere, vt potius eas ipſas per omnem ætatem ſocias dilectiſſimas ſua vita & anima multò chariores habere, iure ac merito debeant, & ambabus vlnis (quemadmodum eſt in prouerbio) benigniſſimè ac humaniſſimè ſemper complecti. *Nunquid nõ vnus pater*

omnium noſtrum?&c. Multa ſeſe obiicere poterant, ne vates hanc diſſidiorum viri à ſua Iſraelitide coniuge, camarinam moueret, nimirum errantium multitudo. Nam maxima pars populi, etiam maiorum & principum, huiuſce criminis nota inuruntur ab Eſdra & Neemia, Malachiæ ſyncronis. At quàm periculoſum ſit multorum ſimul & potentium animos irritare, Henrici octaui Anglorum regis, Germanorúmque principum exemplum liquido probauit. Præterea reſcindenda erant matrimonia cum exoticis mulieribus vnicè dilectis, à quarum complexu paruuli è colo pendentes auelli oportebat: idque non ſine magna vicinorum offentione, qui magnam de tanta & tam graui & iniqua iniuria ſibi & filiabus illata, conquerendi ac deplorandi occaſionem habebant. Hęc omnia tamen Eſdram, Neemiam, ac Malachiã minimè terruerunt, quo minus huic morbo tũ religioni, tũ etiã reipublicę nocentiſſimo ac pernicioſiſſimo, pro ſua virili mederẽtur. Ne igitur peccantiũ & eorũ qui abutũtur multitudo, etiã potentiũ, nos à reformatione deterreat, quo min⁹ Eccleſiã afflictã & oppreſſam miſeris tẽporibus ac perditis morib⁹, in

veterem vitæ puritatem, ſplendorem, dignitatem atque nitorem vindicemus. Ecqua tandem (quęſo) ratione, nos non ſuperſtitioni barbaræ addicti, ſed Chriſtianę pietati ac religioni ſanctiſſimè conſecrati adulteria, inceſtus, tum ab infimę ſortis hominibus tum etiam à principibus & magnatibus admitti paſſim & nefariè perpetrari, nō abſque maxima ſacroſancti matrimonij iniuria, pateremur? *Nunquid non vnus Deus creauit nos?* Nónne non præ aliis populis & nationibus elegit, vt meritò diceremur τὸ
Ephes. 2. ποίημα τοῦ θεοῦ id eſt factura, ſiue Dei opus? Spiritualis enim cognationis myſticas teſſeras, & vincula externa, Deus optimus maximus nobis dedit, quibus eiuſdem Dei cultores eſſe profitemur. Hoc in loco reprehenditur quorundam ambitio qui inani nobilitatis titulo inflati & turgidi, omnes alios præ ſe contemnunt, perinde ac ſi non ab eodem patre Adamo oriundi, neque iiſdem prorſus ſacris initiati eſſemus. Nolem tamen illam nobilitatem, quę à virtute traxit originem, parui facere, ſi maiorum nobilitatem ex quibus ſe ortos eſſe gloriantur, ſedulo imitarentur. Duplici modo peccabant Hebræi: priore quidem,

quidem, ob nobilitatis generis ſui contem-
ptum: nam vxoribus ſuis è Iacobea præcla-
ra familia prognatis, non abſque dedecore
reiectis, ignobiles ducebant. Secundò reli-
gionem violabant, quę ne mulieres alienas
ſibi iungerent, vetabat. Vtinam hac noſtra
infœlici tempeſtate, nobiles nobilibus, &
pares paribus in Domino nuberent, ne al-
tera partium, vel ſuam nobilitatem, vel di-
uitias alteri exprobraret, neque etiàm cum
infidelibus (Pauli verbis vtor lubēs) iugum 2.Cor.6.
traheremus. Huiuſmodi matrimonia ſæ-
piſſimè multa in religione monſtra pariūt.
Non abs re igitur Vates eos inſectatur, qui
tale crimen admittunt. *Perfidè defecit Iuda*,
inquiebat, *abominandúmque ſcelus in Iſraele*,
& Hieruſalem deſignatum eſt, &c. Sceleris ne-
farij & piaculi indignitatem atque turpitu-
dinem, antitheſi pulcherrima exaggerat &
amplificat. *Perfidè*, inquit, *defecit Iuda*, qui ſe
fidelem & confitentem (vt vocabuli ac no-
minis explicatio ſonat) magnificè iactat, at-
que oſtentat, *perfidè defecit*, tranſgreſſus eſt,
mentitus eſt, deſpexit fœdus diuinum, cùm
affinitates & connubia ſanguinis alieni ex-
petiuerit. *Abominatio*, i. nefas atq; probrū,
facta eſt in Iſraële, qui cùm potentem cùm
G

Deo ſe cognominet, ſanctum tamen Domini polluit, ac profanauit, eò quòd filiã, idolorum cultui deditam, ſibi copula matrimonij cõiunxit, nullam rationem habẽs neque tribus, neque generis ſui, neque etiã ſanctitatis loci, *quia in Hieruſalem*, qui locus eſt religioni deditus, & qui debet eſſe quaſi ſchola virtutis, præter ius & æquũ hæc perpetrata ſunt. Iudã & Hieruſalẽ non honoris gratia nominat, ſed vt eos maiori ignominia ſuffundat, qui vitã alienam & abhor rentẽ ducebant à magnificis titulis, quos præ ſe ferebant, & quibus gloriari & vẽditare ſe corã cæteris nationibus nimis elatè ſolebant. Quid nos iuuat (quæſo) Apoſtolos, atque Apoſtolicos viros, patres religionis, & anteſignanos habuiſſe, ſi fidem, quã docuerũt, ſuoq; ſanguine obſignarunt, ſectis ac ſuperſtitionibus à nobis abegerimus? Nonne nobis veluti Iudæis dicetur, quòd prophanauerimus *ſanctificationem Domini, quam ipſe dilexit*? Per ſanctificationẽ iſtã, intelligere poſſumus eam dignitatẽ, quã Dominus Deus ipſis Iudæis præ aliis gentibus contulerat. Hanc enim Moſes magnificè prædicat, Deut. 4. Dũtaxat populus ſapiẽs & intelligẽs eſt gẽs hæc magna. Quæ enim

gens magna eſt, quæ ſic habeat Deũ ſuum amicum & familiarẽ, quemadmodũ Dominus Deus noſter eſt in omnibus, quibus inuocamus eum? Leui.19. Dirarum imprecationi finis & epiphonema huiuſmodi apponitur: Sancti eritis, &c. Iſtam verò dignitatẽ, quà omnes Gentes præcellebant, ipſi proſtituebant, quando ſemen ſanctũ commixtum eſt cum populis nationum, i. cum peregrinis & exteris vxoribus. Hebræorũ Rabini *per ſanctificationẽ*, vinculũ illud mutuum, & coniunctionem, ſanctamq; ſocietatem, quæ marito cũ vxore intercedit, intellexerũt. In illa enim ſacroſancti quidpiã eſt: Vnde Geneſ.2. ſcribitur: Et adhærebit vxori ſuæ, & quæ ſequũtur. Paul.Eph.5. diſertis verbis, quænam fuerit illa ſanctitas abundè ſatis explicuit: propterea inquit, derelinquet patrem ac matrem, & adhærebit vxori ſuæ, eruntq; duo in carne vna. Hoc Sacramentum magnum eſt, in Chriſto dico & in Eccleſia. Sufficit, inquit Tert. lib.5. contra Marcionem, Inter iſta, ſi Creatoris magna ſunt apud Apoſtolum ſacramenta; minima apud Hæreticos: ſed ego dico, inquit, in Chriſtum, & in Eccleſiã: habet interpretationẽ, non ſeparationẽ ſacramẽti;

oſtendit figuram ſacramenti ab eo præminiſtratam, cuius vtique erat ſacramentum. Hæc ſunt Tertulliani verba, quibus lubẽs vtor, vt Hæreticorum amentium, & perditorum huiuſce temporis orationem totam ex fraude & mendacio compoſitam, refellere & redarguere poſſim, quippe qui cum Marcione, Valentino, & Appelle negant, Chriſtianorum matrimonium Sacramentum eſſe, atque Græcum illud vocabulum τὸ μυστήριον falsò deprauantes, contra veterum Patrum Latinorum, vtramque linguã probè calentium, ſentẽtiam, ſecretum ſunt interpretati. Sed audiamus iterùm eundem ipſum Tertullianum, Græcarum literarum adeò peritum, vt ſua ſcripta phraſim Græcam vbique redoleãt, qui & Græcè de Baptiſmo quondam ſcripſiſſe fatetur. Chriſtus, inquit lib. de monogamia, tibi occurrit monogamus in ſpiritu, vnam habẽs Eccleſiam ſponſam, ſecundùm figurã, quam Apoſtolus illud magnum ſacramentum interpretatur, in Chriſtum & Eccleſiam, cõplentes carnalem monogamiam, per ſpiritalem. Si enim ea quæ in coniugio ſeruanda ſunt probè perſpexerimus, vtpote caſtũ viri & mulieris complexum, thorumq; im-

Tert. lib. de Monoga.

maculatũ, quem Paulus ad Hebræos præſcribit, ſanctúmque vaſis ſui vſum incontaminatum, quem Petrus requirit, nonne fateri cogemur, nos in illa membrorum libidine rebelli, & rebellione libidinoſa, non hæc poſſe præſtare, niſi diuina & ſpeciali gratia, qualis in Sacramentis exhiberi ſolet, adiuti eſſemus? His & aliis tum Scripturis, tum rationibus moti diui Patres, Ambroſius & Auguſtinus, non veriti ſunt illud ſacroſanctum nuptiarum fœdus Sacramẽti titulo decorare. Nam ille exponens id quod ſcribit Apoſtolus Epheſ. 5. ſic habet: Myſterij ſacramentum grande in vnitate viri & fœminæ eſſe ſignificat. Alter verò ſic ſcribit, Non tantùm fœcunditas, cuius fructus in prole eſt, neque tantùm pudicitia, cuius vinculum eſt fides, verumetiam ſacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis. Vnde dicit Apoſtolus, Viri, diligite vxores, &c. Nolo hîc diſputationem inſtituere, vtrum veteris Inſtrumẽti Patribus ſancta illa maris & fœminæ cõiugatio ſacramentum extiterit. Satis enim mihi fuerit cum Malachia oſtendiſſe, illos ipſos Patres in coniugio, religionis rationẽ ſemper habuiſſe: propterea ne cum idolo-

Heb. 13. *1. Pet. 3.* *Amb. com. in epiſto. ad Epheſ.* *Auguſt.* *Epheſ. 5.*

latris coniugiorum fœdera contraherent, ſtrictiſſimè vetabant. Facile enim intelligebant, ex impari coniugio multa naſci ſcandala, nimirum filios ex huiuſcemodi procreatos mixtam quandam diſcere religionē, vel de illa omnino dubitare. Atq; tandē aliquādo palàm & apertè impios fieri, quales olim ante diluuium Nephilim fuerunt, quos ex huiuſcemodi coniugiis prognatos fuiſſe Moſes teſtatur. Pau. 2. Cor. 6. Prophetarum admonitiones cōfirmat, cùm Chriſtianos monet, ne cum infidelibus iugū trahant. Si verò priuſquàm Chriſtianiſmū amplexi fuerint, huiuſmodi fœdera contraxerint, & alter coniugum fidem receperit, ab Apoſtolo docetur 1. Cor. 7. Quid facto ſit opus. Exempla quædam ſunt, quibus certiores efficimur, viros Chriſto Chriſtianarum vxorum ſancta conuerſatione lucri factos fuiſſe, vt de Clodouco Francorum rege primo chriſtiano, vxoris ſuæ Clothildis Burgundiæ Chriſtianis colloquiis erudito, ex Francorū Annalibus conſtat. Ne igitur religione prætextu diuortia quæramus: quādoquidem tam grauē pœnam Dominus Deus minatus ſit iis, qui leui adeò de cauſa vxores ſuas à ſeipſis expellebant. Ex-

Gene. 6.

Aimoinus de geſtis Franc. lib. 1. ca. 14. & 15.

cindet Dominus, inquit Propheta, *viro, qui hoc fecerit, magiſtrũ & diſcipulũ ex tabernaculis Iacob*. Iure & meritò à ſocietate repulſus ſeiungitur, qui ſocietatẽ labefactat: hinc olim Druides Gallorũ veterũ ſacerdotes (autore Cæſare in ſuis cõmentariis) prophanos & impios ſacris interdicebãt. Apoſtolus obiurgauit ſumma cũ authoritate Corinthios de illius inceſtuoſi familiaritate, quẽ ab Eccleſia interdici oportuit. Nã ab Eccleſiæ caulis procul abigendæ ſunt oues morbidæ, ne totũ pecus inficiant. Ionathan in ſua paraphraſi Chaldæa ſic vertit: Exterminabit Deus virũ, qui hoc fecerit, filiũ & nepotem ex ciuitatibus Iacob, i. ad internecionẽ vſq; ita vt nemo quiſquã ex eius familia reliqu' ac ſuperſtes fiat. Ad quid enim ſobole (qui coniugij præcipuus fructus eſt) gauderent, qui ipſius leges violãt? Domus igitur illius, qui tale ſcelus cõmiſerit, ſucceſſoribus carebit, neq; qui excitet, neq; qui excitãti reſpondeat, in illa inuenietur, i. & magiſtri & famuli funditus diſperibunt: quòd ſi ſacerdos iſte fuerit, nullũ poſt ſe relinquet ex ſua familia, qui oblationẽ in æde ſacra Domino offerat. Cùm igitur Deus in matrimonij violatores tam ſeuerè animaduertat,

Cæſar in Comment.

1. Cor. 5.

in poſterùm fidelius, ſanctius, & magis integrè ſeruetur, veluti à Deo optimo, maximo ſanctiſſimè inſtitutum, cui laus, honor & gloria, in ſecula ſeculorum, Amen.

HOMILIA XII.

Et hoc rurſum feciſtis, operiebatis lachrymis altare Domini fletu, & mugitu, ita vt non reſpiciam vltra ad ſacrificium, nec accipiam placabile quid de manu veſtra. Et dixiſtis, quam ob cauſam? quia Dominus teſtificatus eſt inter te, & vxorem pubertatis tuæ, quam tu deſpexiſti: & hæc particeps tua, & vxor fœderis tui. Nonne vnus fecit, & reſiduum ſpiritus eius eſt? Et quid vnus quærit, niſi ſemen Dei? Cuſtodite ergo ſpiritum veſtrum, & vxorem adoleſcentiæ tuæ noli deſpicere.

VNiuerſus religionis apparatus ad fœdera, neceſſitudines, & amicitias ineundas, fouendas atque firmandas mirabiliter conſentire, atque conſpirare videtur. Quod ſi quis ea ipſa dolo, fraude, verſutia, peruerſitate, ac nequitia violauerit ac ruperit, indignus habetur, qui ad altare Domini mu-

nus offerat. Quapropter Chriſtus pręcepit *Matt. 5.*
ne quis ad aram munus afferret, niſi prius fratri offenſo ſatisfeciſſet. Quonam pacto igitur Dominus Deus à præfractis iſtis, ſuarum vxorum contemptoribus gratam haberet oblationem, quādo eam ipſam ad altare proferrēt? Non abs re igitur, ſi Deus per Vatem Hebræis denunciet ſe de manibus ipſorum, ne munus quidem gratū, acceptúmque habiturum eſſe, quia non ſemel vxores ſuas malè tractarint, ſed & ſecundò, ita vt illas ipſas lachrymis, fletu, & gemitu Dominicum altare opplere ſua malignitate coegerint. Virorū ſancti coniugij contemptorū, peccatū multiplex extitiſſe, probat noſter Vates, vtpote fœderis de religione ſacroſancti ſanciti violatio, officij erga coniuges eiuſdē numinis neglectio, atq; in eas ipſas fraus, improbitas, & malitia. Non ſemel atque iterùm Deum offenderant, ſed ſæpè atque adeò ſæpius. Quapropter dicit: *Et hoc rurſum feciſtis.* Hebraicè ſonat, & hoc ſecundò feciſtis. Kimhi hoc ad altare, circa quod iam ſemel peccauerant ſacrifici in offerendis vitioſis pecudibus, refert: Iterùm iam aliud ſcelus, inquit, in idem altare admittitis, quippe qui in cauſa

eſtis, quòd lachrymis, fletu, & mugitu ara Dominica oppleatur. Nam Iſraëliticæ vxores veſtræ lachrymabũdæ, me vidẽte adaltare ſeſe recipiũt, immanis illius ſceleris ac flagitij cauſa, cuius vos erga eaſdẽ autores eſtis. Nullis enim armis natura omniũ parens, mul eres donauit, quibus ab iniquorũ maritorũ iniuriis ſeſe vendicarent, præter pietatẽ (qua ſæpè etiã ipſos viros ſuperarũt) atq; morum honeſtatẽ. Diſcant igitur non in vulgus ſpargere, mulierũ ſtultarũ inſtar, ſi quas à viris illatas iniurias patiantur, ſed eorum improbitatẽ, aut honeſtate vincãt,

1.Reg 1. aut ad altare Domini ſeſe conuertant. Anna Helcanæ vxor à ſua æmula propter ſterilitatem laceſſita, ſic ad preces coram altari in Silo ſe conuertit. Gorgonia Gregorij

Naziã in epit. Gorgo. Nazianzeni ſoror, morbo correpta exotico atq; incurabili (qui præſtãtiſſimorũ medicorum omnia cõſilia, præcepta, & præſidia iamdudum ſuperauerat) coram altari cum fide procidit, eumq; qui ſuper altare colebatur, magno inuocans clamore, quod petebat cõſecuta eſt. Siue igitur mulieres maritis ſuis minus æquis vtantur, ſiue malo quodã alio torqueãtur, Deũ ſupplices adeant, qui nõ ſolùm adulteria & fidei cõiuga-

lis profanationẽ, ſed etiã vxorum iniquã & indignam tractationẽ vindicat, atq; afflictorũ gemitu ac fletu cõmouetur, nec amplius ad oblationẽ propterea ſe reſpecturũ minatur. Hinc colligere licet, huiuſmodi viros publici mali autores eſſe, cùm ita preces & ſacrificia publica Deo minus grata & accepta reddãt, & ſuo effectu apud eundẽ ſpoliẽt. Docetur interim magiſtratus in eos grauiter animaduertere debere, qui proximos ſuos iniquè & crudeliter opprimũt. Meminerint etiã pauperũ oppreſſores, Deũ tandẽ aliquando vindicẽ fore, & afflictorũ clamores obeſſe, quominus preces quas quotidie pro pace fundit Eccleſia, Deum placare & exorare poſſint. Eſt enim nefariȩ oppreſſionis, & iniuriæ flagitioſæ argumẽtum, cùm miſeri & iniuria affecti, ad aras lugentes cõfugiũt, vt qui nullũ iã in hominũ conſiliis & auxiliis præſidiũ, nullũ in magiſtratibus, principibuſq; ſuis cõtra iniuriã firmũ propugnaculũ habeant, ſicut ſcriptũ eſt, Iſa.5. Expectaui vt faceret iudiciũ, & ecce iniquitas, & iuſtitiã, & ecce clamor. Propterea æqui boniq; ratio poſtulabat, vt nequaquã deinceps vel aſpectu ſolo munera eorũ, qui tam immani ſæuitia, ſuas vxores afficiebãt, Deus optimus max. dignaretur.

At verò cùm ſcelus adeò graue & atrox eſſet, vt vix vllam veniam mereretur, mulierum tamen conditioni (quæ ad fletus & lamentationes, atque deplorationes, vel nulla, vel exigua cauſa ſunt promptiſſimæ) ſua calliditate mariti improbi tribuere, atque aſcribere conabantur. Dicebãt enim *quamobrem?* id eſt, tanti ne Deus faceret muliercularũ moroſarum inanes & iniuſtos queſtus, vt earum gratia preces publicas & ſacrificia aſpernaretur, deſpiceret, contemptui haberet, atque reiiceret? Scilicet hic ſuperis labor eſt, ea cura quietos ſolicitat?
Gen. 3. Præterea verbis Dei abutebãtur, qui olim Euæ dixerat, Ad virum erit reſpectus tuus, & ipſe tui dominabitur, ſic ſuum in vxores ius, ſtultè, tyrannicéque prætexentes: quibus Propheta rationem reddit, ob quam Deus ita ſcelus eorum, quod tectum eſſe volebant, iure & meritò tam ſeuerè reprehenderit. *Quia*, inquit, *Dominus teſtificatus eſt inter te, & vxorem pubertatis tuæ*. Etiam ſi pauci ſint, qui mulierum cauſam defendant ac tueantur, (quamuis leges in multis videantur illis fauere) Deus tamẽ non modò vindicem, ſed etiam earum inimicorum vltorem ſeſe conſtituit, multis rationibus eos

conuincens, qui eas non humaniter, vt oportebat, ſed pręter æquum & iuſtum tractabant. Prior enim ratio quam profert in medium, hæc eſt: *Dominus teſtatus eſt inter te, & vxorem, quam in adoleſcentia tua tibi deſpondiſti.* Ipſe teſtari poteſt quàm iniquo iure cum ea agas, quo auſpice, præſente, atq; inuocato, fœdus inter te ac ipſam actum, ictum & ſancitum, atque nominis ſui inſcriptione conſcriptum, & obſignatum fuit. Veteres Deum vocarunt ἐνόρκιον, & πίστιον, quòd iuramentis, & fidei in fœderibus datæ, præeſſet. Quod tãdem iuramentum, inuiolabile erit illis qui violant iuſiurandum, quòd publicè in loco ſacro, ſacerdotali benedictione conſecratum, nominis etiam diuini atteſtatione ratum atque firmatum. *Dominus teſtatus eſt inter te, & inter vxorem.* Ille teſtis inter te illámque medius intercedit, & illum, qui author coniugij in paradiſo extitit, teſtem & iudicem contra te habebis, *Quoniam vxorem adoleſcentiæ tuæ deſpexiſti.* Fuit tibi deſponſata iam inde ſtatim ab ineunte adoleſcentia, atque tecum itineris ac exilij labores, & pericula ſuſtinuit. Tu etiam illius pudicitiæ florem dulciſſimum collegiſti. Quid cauſæ eſt igitur, Gen. 2.

vt eam vel labore vel ſenio confectam, à tuo cõſortio,& à ſuis dulciſſimis natis cum dedecore depellas & eiicias? Qui humaniores ſunt, equos, canes & ſeruos, quorũ opera ſatis vtiliter annis aliquot vſi ſunt, amant, humanéque tractant: vxor vero ipſa, cõſors tua eſt, tibi fœdere iũcta. Quaſi diceret: iniquũ eſt eos ſuo iure fraudare, qui no biſcũ omnem fortunã communem habere debent. Vxor enim nõ eſt ancilla, ſed ſocia, propterea nõ ex pedibus, ſed ex Adami latere formata, vt eſſet illi in adiutorium, ac duo in carne vna propter fœdus ſic inter i-
Gene.ſ.2. pſos initũ. Et ideò dixit Adamus, quòd homo relinquet patrẽ & matrẽ, vt ſuæ vxori adhæreat, atq; in vnũ corpus coaleſcat. Vn-
Eph.5. de Paulus huc reſpiciẽs, dicebat: Quis vnquã carnem ſuã odio habuit? Violant igitur naturæ leges, atq; portenta naturæ dici merẽtur, quicũque coniugiorũ legem violant. Quòd ſi multi ſint qui iocũ & luſum eſſe putant, quę à malæ frugis maritis deſignantur, atque patrum quorundam exemplo crimen ſuum non modò in eos deriuare, ſed cum illis communicare vellent, veluti & ipſi, qui Abrahami factum Prophetis obiiciebant, dicentes eum, cum vxore

ſua Sara, ſimul & Agaram ancillam habuiſ- *Gen.16.*
ſe, ac ambarum complexibus ſine culpa a-
liqua potitum fuiſſe? *An non vnus fecit?* &c.
Aliqui verba illa quaſi à populo Prophetæ
dicta eſſent, interpretati ſunt. Abraham, in-
fit populus, auus ille noſter, ſacroſanctæ me
moriæ, vnus ille, quemadmodum habetur
Iſa. 51. Summis aliàs animi dotibus prædi-
tus, & fortaſſe pluribus, quàm ſint ipſi mo-
roſiſſimi Prophetæ noſtri, an non eodem
modo ſe geſſit, quo nos hodie res noſtras
adminiſtramus? Nonne dimiſſa vxore ſua *Ibidem.*
vetula ac ſterili Sara, Agaram ancillam ſibi
deſpõſauit? Nonne & ipſa Sara ſimiles que-
relas fudit, cùm ab ancilla ſua prægnãte pe-
teretur & laceſſeretur? Mira ſanè Satanæ
calliditas, quippe qui ſuos ita ſemper inſtru
xit, vt non modò ſacris Scripturis in extra-
neum ſenſum contortis, ad ſuas falſas, im-
pias, & erroneas opiniones firmandas abu-
terẽtur, ſed etiam ſanctiſſimorũ patrũ exẽ-
plis, quorũ facta quædam, vt inquit Augu.
potius admiranda, quàm imitanda forent.
Poligami Abrahamũ, ebrii Lothum, adul-
teri Dauidẽ, fœneratores Matthæũ, in me-
diũ adducũt, vt pluriũ vxorũ abuſum, ebrie
tates, adulteria, & vſuras ſuas extenuent.

1.Cor.4. At verò illud Paulinum vtique præ oculis habere debemus, quo Eccleſiam exhortabatur, vt ipſum imitaretur, quatenus Chriſti imitator eſſet. Hinc generalis doctrina peti debet, nimirùm vt Patres ſequamur, quatenus illi ſua facta ſecũdùm Dei leges, & fidei Catholicę analogiam inſtituerunt: atqui eorum ipſorum actiones propius introſpiciendæ ſunt, vt earum finem probè cognoſcamus, veluti Propheta in reſponſione ad Apologiam improborum maritorum docet. *Quid verò vnus ille fecit? Quærebat ſemen Dei.* Ac ſi diceret: Enimuerò quò tẽpore Agaram ancillam ſibi adhibuit, non alio nomine id ab eo factum, quàm vt prolem ſuſciperet, ab vxore Sara nequaquam ſibi ſuppeditatam. Nõ immoderata & cæca libido Abrahamum impulit, vt Agaram ſibi deſponſaret, ſed inconſideratus ſalutis humanæ zelus, qui ex promiſſi ſeminis immodico deſiderio enatus fuerat. Veſtra verò longè alia eſt ratio, qui ex libidine nefanda hoc facitis. Acceſſit enim ad id, quod tunc temporis fiebat, eius Saræ & authoritas, & voluntas, vos verò reluctantibus vxoribus alienigenas vobis deſponſatis, quæ vobis in amore potiores ſunt, vbi pater

Abrahamus

Abrahamus ancillam proteruientem Saræ conſilio domo expulit. Aliqui Hebræam phraſim ad amuſſim obſeruantes hunc ſenſum eruere conati ſunt, quaſi propheta diceret, hoc commune flagitium extitit: nam quis mente, conſilio vel aliquo iudicio pręditus, hoc facinus aggredi ſolus auſus fuiſſet, contra omnia diuina iura, & neceſſitudinis humanę rationem, etiamſi excuſationem quærendi ſemen Dei prætexiſſet? Alij verò ſic interpretati ſunt, quaſi voluiſſent ſeſe excuſare nomine multitudinis, quæ id faciebat, non alia ratione, quàm vt ex infidelibus mulieribus ſemen Dei procrearet: cum tamen euentus contrarium oſtendat. Nam ab eiuſmodi variæ religionis parentibus, improbiſſimi euadunt: vti videre eſt. 3. Reg. 22. de Ochoſia, Achabi & Ieſabelis filio. Deſinite ergo patris optimi exemplo & zelo inconſulto abuti: quin vobis iterum atque iterum diligenter eſt cauendum, immo ne vitæ quidem periculo committendum, vt nunquam quiſquam perfidè cum vxore ſua agat, quam à primis adoleſcentię ſuæ annis vxorem delegit, nec miſſam eandem faciat, vt poſtea idololatram inducat. Nam qui non omnes animi neruos inten-

derit, vt amoris & fidei coniugalis officium debitum, vxori quam in adoleſcentia, ſibi deſpondit, piè & religioſè reddiderit, ipſe coniugij fructibus à Deo optimo maximo priuabitur. Cui laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

HOMILIA XIII.

Cum odio habueris, dimitte, dicit, Dominus Deus Iſrael, operiet autem iniquitas veſtimentum eius, dicit Dominus exercituum. Cuſtodite ſpiritum veſtrum, & nolite deſpicere. Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris. Et dixiſtis in quo fecimus eum laborare? In eo quod dicitis, omnis qui facit malum bonus eſt in conſpectu Domini, & tales ei placent aut certè vbi eſt Deus iudicij?

CVM matrimonium ſit ſecretũ magnum & ſacramentum, propter ſignificationem quam habet Chriſti ſponſi cum ſponſa Eccleſia, ſitque omnium ſacrorum conſtitutio, cerimonia & ordinatio antiquiſſima, vitæ humanæ perutilis & neceſſaria, debet caſtè, purè, integrè atque incorruptè ab ho

minibus obſeruari. Nulla tamen res eſt à Deo pia, ſancta & antiqua, quæ non tempo rum diuturnitate, vel potius hominum ma litia corrumpatur, vt pro cõceſſo & probato habetur de matrimonio, libello repudij deprauato & corrupto, quem quidem Moſes propter cordis duritiã permittere coactus fuerat, quo melius fuiſſet vxores donari, quàm à viris ſuis ſic malè, indignè & inhumaniter tractari. Dicebat igitur propheta, *cum odio habueris, dimitte.* Quoniam impij, profani atque nefandi heretici, (qui ſibi videntur Chriſti legibus eſſe omnino ſoluti) de repudij libello tam male ſen tiant ac peius doceant: Operepretium erit, vt paucis breuiter, dilucidéque de illo ipſo pertractem, & quid Chriſtus de eo tradiderit, & vetus Eccleſia ſenſerit, doceã. Matth. 5. vbi Dominus verũ legis ſenſum docuit, ſic ait: dictum eſt autem quicunque dimiſerit vxorem ſuam, det ei libellum repudij. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat. Et cap. 19. Phariſæis obiicientibus, quare Moſes mandauerit dari libellum repudij, reſpondit, quoniam Mo- *Mat. 19.*

ſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras: ab initio autem non ſic. Quibus verbis Paulus adſtipulari videtur. 1. Cor. 7. cum dicit, His autem qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio, non ego ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptã, aut viro ſuo reconciliari. Tanto verborũ Chriſti & Apoſtoli pondere heretici vrgeri mihi videntur, vt ne omnino hiſcere contra cõiugationis viri & fœminæ nexum indiuiduum, atque indiſſolubilem deberent, niſi frõtem pluſquam meretriciam induiſſent. At verò vt pollicitationi noſtræ ſatisfaciamus, quid vetus Eccleſia de huiuſmodi indiuulſa coniugatione ſenſerit, paucis aperiemus. Tertullianus quem pro Romanis ſtare, & illis fauere nemo ſanæ mentis dicere auderet, in illo libro de Monogamia à Romanis pontificibus vetito ac inhibito, de repudiis, omnium Eccleſiarum conſenſum ſecutus, ita loquitur: Infideles non repudiãtes, adulteria commiſcent, nobis, etſi repudiemus, ne nubere quidem licebit. Origenes hom. 7. in Mattheum, luce meridiana clarius oſtendit, Græcos de coniugio indiſſolubili, idẽ omnino cum Aphris ſen-

Tertull. lib. de Monog.

tire. Scio inquit, quoſdam, qui præſunt Eccleſiæ, extrá ſcripturas permiſiſſe aliquam nubere viuente viro, & contra ſcripturam quidem fecerunt: mulier enim ligata eſt, quanto tempore vir eius viuit. Item, viuente viro adultera vocabitur, ſi facta fuerit alterius viri. Eiuſdem ſententiæ Romanã Eccleſiam fuiſſe, docet Hieronymus ad Ocianũ in epitaphio Fabiolæ: Igitur & Fabiola inquit, quia perſuaſerat ſibi & putabat à ſe virum iure dimiſſum, nec Euangelij vigorem nouerat, in quo vniuerſa nubendi cauſatio viuentibus viris, fœminis amputatur: dum multa Diaboli vitat vulnera, vnum incauta vulnus accepit. Sed quid ego in oblitis & antiquis moror, quærens excuſare culpam, cuius pœnitentiam ipſa confeſſa eſt? Adhæc Ambroſij (qui aliquando Papiniani leges ſecutus fuiſſe videtur) teſtimonium locupletiſsimum ſubnectã. Audi inquit (in illud Lucæ, Omnis qui dimiſerit vxorem ſuam & alteram duxerit, mœchatur) legem Domini cui obſequuntur etiam qui leges ferunt: quæ Deus coniunxit, homo ne ſeparet: non ſolum hîc cœleſte præceptum ſed quoddam etiam opus Dei ſoluitur. Pateris ne, oro, liberos tuos vi-

Rom.7.

Ambroſij in Lucam.

Luc.16.

Mat.19.

uente te eſſe ſub vitrico, aut incolumi matre eſſe ſub nouerca? pone ſi nubat, neceſsitas illius tuum crimen eſt, & cõiugium tuũ, quod putas, adulterium eſt. Dimittis ergo vxorem quaſi iure ac ſine crimine, & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet? Sed prohibet diuina. Idẽ ſcripſit in cap. 7. ad Romanos. Videãt igitur extraordinarij noſtri reformatores, qua authoritate fulti, doceant coniuges repudiantes, nubere poſſe. Nulla profecto aut ſcriptura aut ratione probare poterunt, niſi illa ipſa ex veteri & antiquo Moſaico repudio petatur, ad quod vates remittere videtur, eos viros, qui ſuis vxoribus melius conſuluiſſent, ſi pacificè cum repudij libello dimiſiſſent. Libellus iſte mulierum cauſæ plurimum fauebat, videbat ſanè Moſes virorum moroſitatem, qui ingeniis adeò contumacibus & præfractis præditi erant, vt ſuas vxores aut gladio aut veneno potius interfecturi eſſent, quàm permittere eas præter animi voluntatem ſecum habitare. Præterea non tantum earum vitæ, ſed etiam famę conſulebatur, ne ob adulterium, aut aliud quidpiam ſcelus capitale repudiatæ eſſe, aut ipſæ maritos turpiter deſeruiſſe viderentur.

Amb. in cap. 7. ad Romanos.

Hunc eſſe, libellorum abſceſſionis vſum conſtat ex cap.50.Iſa. ſynagogam accuſantis,eo quod non eiecta, ſed ſua ſponte defeciſſet,vt amores ſuos idololatricos ſequeretur. Vbi eſt, inquiebat Dominus libellus repudij matris veſtræ, quo eam dimiſerim? perinde ac ſi diceret,ſi de mea moroſitate querimini, quaſi iniquius vos reiecerim, agite dũ proferte repudij tabellas à me vobis datas. At non poteſtis quicquam tale oſtẽdere:In vobis ergo omnis culpa hæret, nec repudiatis vxorib⁹,ſed turpiſſimæ adulterę ſimiles eſtis,quę marito relicto amatores ſuos ſectatur.Adhæc viris nõ erat liberum diuortij libellum ſcribere, vel cuilibet ex plebe,ſed ſcribis tãtum, vt teſtatur Auguſt.lib.19.cap.26.Contra Fauſtum Manichæũ. Apud Hebræos inquit,ſcribere literas Hebræas nulli fas erat niſi ſcribis ſolis, cum excellentiorem profiterẽtur ſcientiã. Ad hos igitur, quos oporteret eſſe prudentes legis interpretes,&iuſtos diſſidij diſſuaſores mittere voluit eum,quem iuſſit libellum repudij dare,ſi dimiſiſſet vxorem.Non enim poterat ſcribi libellus,niſi ab ipſis,qui per hãc occaſionem & neceſſitatẽ venientẽ quodammodo in manus ſuas,bono cõſilio

regerent, atque inter ipſum & vxorem pacificè agendo dilectionem cõcordiámque ſuaderent. Ex his colligere licet cõiugij diuortia à Moſe propter virorũ moroſitatem & cordis duritiã permiſſa, non dari niſi maxima cum difficultate. Hinc aliqui interpretes anſam aripuerunt eliciendi ex iſta prophetæ ſcriptura alterum ſenſum quandoquidẽ Phariſæi Chriſtũ ſuper diuortiis ſciſcitati, Moſem huius diuortij authorẽ mini
Mar. 10. mè citaſſent, ſi hic locus ipſis fauiſſet diuortiis. Nã Deus author illius videretur & non Moſes. Dicitur enim, *cũ odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Iſrael.* Hebraicè ad verbũ ſic habetur: *nã odiſſe mittere, ſiue extẽdere dicit Dominus Deus Iſrael, & operuit iniquitas ſuper veſtimẽta eius.* Perinde ac ſi diceret, odiſſe, id eſt, odiũ, quo vxores veſtras proſequimini, ita ſeſe extendit, dilatat & erũpit, dicit Dominus Deus Iſrael, vt veſtes hominũ, quib⁹ occultari multa ſolent, operuerit, & ſupra veſtimenta ipſa, iam longè appareat. Tanta iniuria, violentia atque inhumanitate in eas graſſamini, vt ea ipſa nullo veſtimento occultari aut diſsimulari poſsit. Gallica phraſis noſtra ad Hebræam magis accedere, & melius hanc ſententiam omnibus

aliis explicare videtur. Odiſſe mittere Dicit Dominus Deus Iſrael. *Hayr eſt renuoyer dict le Seigneur Dieu d'Iſrael.* Id eſt ſuam vxorem odio proſequi, & eam malè tractando cum alienigena vi ac violẽtia retinere, perinde eſt (vel potius lõge grauius, acerbius & iniquius) ac ſi illi nuntiũ remitteres, ipſaq; violentia tanta tam longe latéque patet, vt ſub veſtimento tuo abſcondi nequeat. Cauete ergo quàm chara eſt anima veſtra ne perfidi ſitis. Præterea *laborare feciſtis etiam Dominum in ſermonibus veſtris*, ſcelus ſceleri addentes. Ea enim inter vos ipſos mugina-mini & muſſitatis, quæ Deo moleſtiam intollerabilem afferũt, non quod Deus optimus maximus eiuſmodi paſſionibus ſit obnoxius, ſed metaphoricῶs dicta eſſe cenſenda ſunt. Deum enim defatigamus, quando copiam benignitatis eius & tollerantiæ ac lenitatis, noſtris flagitiis ſuperamus. Lente quidem ipſe procedit ad iram, ſed tarditatem, tandem aliquando ſupplicij grauitate compenſat, vt videre eſt, de his, qui Noemi temporibus vixerunt, quibus Dei iuſtitia & ſcelerum vindicta, centum annorũ ſpatio prædicata fuit, antequam aquarũ eluuione perirent. Idem dicere poſſumus de

iſtis, cõtra quos vates noſter perorat, dicẽs, *Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris.* Non ſolũ apud ſemetipſos Iuam nequitiã cõceptam abſcondebãt, ſed etiam in vulgo, eam effutientes impudenter ſpargebant, nõ corã prophetis, qui eos cõuincere poterãt, ſed coram ſimplicioribus, hęreticorũ ingeniũ præ ſe ferẽtes, qui debiles in fide potius quàm firmos, ſtabiles, doctos & eruditos callidè aggrediũtur. At verò in quibus Deũ defatigarint, audiamus. In eo quod dicebant, omnes impietatẽ faciẽtes, Deo gratos & acceptos eſſe, ipſumque talibus delectari, alioqui iuſtam de huiuſmodi pœnam rigidius & ſæuerius ille exegiſſet. Nemo repentè fit, turpiſſimus, vt ait ſatyricus, ſed ad vitia ſunt gradus, ita vt qui prius peccatum pœnitentia ſeria non diluerit, ipſius põdere atque grauitate ad alia trahatur. Primùm quidẽ neglectę religionis inſimulãtur, deinde fœderis cum ſuis vxorib⁹ perfidè violati, poſtremo tam barbarę & cyclopicæ impietatis, qua ipſius ſummi Dei prouidentiã & iuſtitiã negauerunt. His gradibus aſcẽdiſſe Arianos ex veteri hiſtoria cõſtat, quos Luterani ſecuti ſunt. Nã ipſi Luterani in primis indulgentias ſolũmodo damnabãt, poſtea

purgatoriũ, paulatim ſenſimq́; ad auguſtiſſimũ Euchariſtiæ ſacramentũ vſque peruenerunt: mox ſacrificiũ illud negãtes, rurſus cum pane ſacrũ Chriſti corpus adeſſe, denique à menſa Domini tantũ diſtare, quantum cœlum à terra. Atqui tam variorũ errorum ſentina, innumeros de Epicuri grege porcos, tum in Germania, tum etiam in Gallia peperit, qui de diuina prouidentia (etiamſi à ſanioris mentis philoſophis olim ſarta tectaq́; fuiſſet) ſubdubitantes, Dei iuſtitiam & iudicium poſtremũ ore blaſphemo ac nephario negare ſunt auſi, veluti D. Petrus fuerat vaticinatus. Non mirum igitur, ſi Dominus in huiuſmodi ſermonibus defatigetur, cùm ad omnia ſcelera & flagitia ſic hiſce blaſphemiis impietatis extremæ tandem feneſtra aperiatur. Nam ſi Deus fingatur res mortaliũ nõ curare, neq; in ſceleratos animaduertere, atque facere cõtra id quod ſcriptũ eſt, quoniã nõ Deus *Pſal.5.* volẽs iniquitatẽ tu es, vniuerſus Dei cultus tollatur neceſſe eſt, Deũq; non eſſe, ſi iuſtus non ſit, fateri cogemur cum his, quos Pſal- *Pſal.13.* mographus inſipientes vocat. Dicit inſipiẽs in corde ſuo nõ eſt Deus. Quis vnquã exiſtimaſſet Galliã noſtrã, quæ mõſtris quon- *Hieron. cõtra Vigil.*

dá caruit, tales beluas (ſi tam honeſto titulo digni ſunt huiuſmodi Athei) gignere, genitas alere & educare, educatas & alumnas ad honorũ faſtigia euehere? Faxit Dominus Deus vt bellorũ ciuilium incurſus à nobis amoueat, qui & Chriſtianiſſimum Regem noſtrũ, & ſuum ſenatũ fidelẽ ita occuparũt, vt neuter eorũ de talibus ſceleratis (ἀμφίβιυς tacceo vel ſi mauis politicos) pœnas dignas ſumere poſſit. Dabit his Deus finem. Cui laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

HOMILIA XIIII.

Ecce ego mitto Angelum meum & præparabit viam ante faciem meam. Et ſtatim veniet ad templum ſuum dominator quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis. Ecce venit, ait Dominus exercituum.

CLemẽtiæ & bonitatis diuinę vbertas & copia, qua Deus in puniendis improbis, mora etiam & cunctatio, qua in cõpenſandis ſtudioſis, ſuæq; religioni addictis vti ſolet, quibuſdam maleferiatis hominibus patefecit aditum, vt quid ſiniſtri de diuina prouidẽtia atque de æquiſſima (qua mundus vniuerſus iudicã-

dus eſt, Iuſtitia, non minus impudenter, quàm impiè ſuſpicarentur, cenſerent ac iudicarent: cum tamen ſua longanimitate & tollerentia malos ad pœnitētiam expectet, ſtudioſos verò cunctatione ſua doceat, ſe tum demum ferre ſuppetias, quando noſtris virib⁹ omnino diffidimus, nec aliquid ſubſidij amplius ex hominibus requirimus aut ſperamus. Huiuſce rei fidem facient, tum captiuitatis Ægyptiacæ liberatio, tum Domini Chriſti ſuauiſſimus & optatiſſimus in hunc mundum aduentus, quando miſeri hebræi, quò ſeſe verterent non habebant: nam tunc temporis Romanis vectigalia pendebāt, quique liberi quondam fuerant, cenſebantur. Adhæc qui religionem curare debebant, nimirum ſacerdotes ſectis, ſuperſtitionibus atque auaritiæ omnino dediti erant. Deus tamen promiſſionum ſuarum memor, filium ſuum vnigenitum totius mundi reformatorem mittit, quem Ioannes Baptiſta præceſſit, vt viam ante faciē ipſius, quemadmodū prophetæ vaticinati fuerāt, præpararet. Eius myſterij rationem paucis aperiamus. *Ecce ego mitto Angelum meum, &c.* Cùm rerum Iudaicarum deſperatio omniū occupaſſet animos, Luc. 2.

atque vniuerſum mundum corrupiſſet iniquitas, Angelũ ſuum miſit Dominus Deus; id eſt Ioan. Bapt. qui tum propter vitæ ſanctiſſimæ integritatẽ, tum etiam propter ſui muneris rationẽ, Angelus à vate noſtro iure nuncupatur: neque Angelũ alium cœlitus demittendũ intilligere debemus, cùm veritas ipſa Chriſtus de præcurſore Baptiſta hãc prophetiam ſit interpretatus, à qua Marcus
Luc.1. Euãgeliſta ſuæ narrationis Euãgelicæ ſumpſit exordium. Initium inquit, Euangelij filij Dei, ſicut ſcriptũ eſt in Prophetis: *Ecce mitto Angelũ meũ, &c.* Noſtri legati munus & officium nõ humana authoritate fulciri, vel ambitione quadam nitti, verbis iſtis demonſtratur. Quòd ſi quis præfractus illius muneris rationem pertinaciter poſtularet,
Mar.1. legat apud Euãgeliſtas, tum ſigna, ipſius ortum præcedentia atque ſequẽtia, tum etiã in ſua functione grauitatẽ & integritatem, quibus populo & principibus ſe à Deo miſſum manifeſtè probauit. Talẽ enim decebat, qui aggeres ſuperbię demoliẽdo, incredulitatis ſcrupos euellendo, ſollicitudinis huius ſeculi ſpinas reſecãdo, viã ante Chriſtum Dominũ cõplanaret. In his maxima Dei bonitas relucet, quæ cum hominum

mentes occulta quadã vi inſpirare, vel Angelorũ opera docere poſſet, maluit tamen humano myniſterio vti, nè animũ deſpõderemus, videndo noſtri ſimiles pro Domino Deo in Eccleſia legatione fũgi. Quis enim Angelorũ cõſpectũ ne dicam Dei maieſtatẽ, niſi maximo cũ ſtupore ſuſtinere poſſet? Deus igitur hominũ imbecillitati ſe ſe accõmodans, nõ Angelũ, ſed Baptiſtã Zachariæ filiũ miſit, qui vitã Angelorũ prope ſimilem in hoc fallaci mundo duxit, ne illi ipſi apud quos Chriſtũ annũciaturus erat, propter vitę impuritatẽ, illi⁹ miniſteriũ reſpuerent. Ipſius enim miniſteriũ pœnitẽtiæ prędicatione & baptiſmi adminiſtratione cõſtabat, Baptiſabat Ioãnes, ait Marc⁹, in deſerto & prędicabat baptiſmũ pœnitentię in remiſsionẽ peccatorũ. Singulis enim hominũ ordinibus ſua pręſcripſit officia, nimirũ, militibus vt neminẽ percuterent, ſuiſq; ſtipendiis eſſent cõtenti, Regi ne fratris vxore abuteretur, hominũ multitudini (quos gemina viperarũ vocabat) qua via, Dei irã effugere poſſent indicauit. Prædicationis fere omnium prophetarũ exordia à pœnitentia cœperãt, quos Chriſtus ipſorũ Coryphęus ſecutus eſt, cum repẽte ad ſuum templũ, id eſt, ad Eccleſiã viuis lapidibus conſtructã, Mar. 1. Luc. 3. Mat. 6.

vt ipſam reformaret, à piis optatus ac deſideratus venit. Sed quemadmodum Reges & principes per deſerta & inuia loca proficiſci nolūt, niſi præmiſſis antè viarum ſtructoribus, quorū miniſterio, quæuis neceſſaria in ipſorum aduentum pręparentur, ita Christus, quem pater ſuper montem Syon
Pſal.2. Regem conſtituit, noluit ſeſe mundo manifeſtare, priuſquam Ioannis predicatione, corda hominum præuia pœnitentia diſponerentur. Petrus Apoſtolus ita Iudæorum mentes præparatas voluit, antequam ſacro regenerationis lauacro Chriſto initiarentur.
Act.2. Pœnitētiam agite inquiebat, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum. Vt ergo medicina affecto corpori ſalutem afferre nequit, niſi prius ſuperflui & noxij humores diligēter concocti præparatiq́; fuerint, ita nec ſalutare illud Euāgelij Ieſu Chriſti pharmacum nobis plane conueniet, niſi antè ſedulo purgati & animis totis religioſè præparati fuerimus. Videant quali paraſceue prædicantes hæretici, ſuorum auditorum animos, ad nouam (ſi Deo placet) reformationem præparauerint. Mortificandæ carnis loco, non tantum adulteria ſuis matrimoniorum nouis & Eccleſiæ Veteri inauditis diuor-

diuortiis, ſed etiam ipſos inceſtus ſupremo ſupplicio dignos, monachis fœdifragis perſuaſerunt. Nulla bonorum operum præparatione illis opus eſt, ſed fide neſcio qua ficta, quam ipſimet non planè intelligunt, hominum valdè leuium mentibus illudūt, ipſoſq; præſtigiosè faſcinãt, ne veritatis lucem perſpiciant. Facite fructus pœnitentia dignos, inquiebat legatus Chriſti, qui viam vepribus, dumetiſq; omnino contectam, horridam & incultam regum omnium regi complanauit, cùm ille templum ſuū ſubitò viſitare dignatus eſt. Etiãſi nihil aliud tunc tēporis minus ſperarent Iudæi, quàm Meſſiæ aduentum (propterea dicitur ſubitò & ex improuiſo venire, quaſi nemo quiſquam mortalium quicquam de eius aduētu prius accepiſſet) tamē eius præcurſor digito illum ipſum demonſtrauit, dicens: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et ecce medius veſtrûm ſtetit, quem vos ignoratis, &c. Poſtquàm verò ſic Ioannes ſuæ legationis munere probè functus eſſet, Chriſtus in Galilæa Euangelium prædicare cœpit, dicens: Quoniam impletum eſt tempus, & appropinquauit regnum Dei, Pœnitemini, & credite Euangelio. *Ad tem-*

Luc. 3.
Ioan. 1.
Marc. 1.

plum veniſſe Meſſias dicitur, non tãtùm locum ſubindicãs, ſed cauſam & finem ſignificans, i. propter templũ viuis lapidibus cõſtructũ, cuius ædes ſacra Hieroſolymitana typum myſticè gerebat. Sunt aliqui hũc locum interpretãtes de Chriſto, cùm eius parẽtes in Hieroſolymitano templo illũ Domino ſiſterent, quare hunc morẽ à maioribus acceptũ vſq; in hodiernũ diem retinuimus, vt in Mariæ purificationis memoriã hunc textum in Eccleſia publicè legamus. *Luc. 2.*

Alij autẽ de Iudæis intelligunt, qui tũc tẽporis templũ Dei & Eccleſia fuerunt, atq; huc referũt, quod apud Ioannẽ habetur, In propria venit, & ſui illũ non receperũt. Videtur etiã intelligi poſſe de reformatione tẽpli, quãdo Chriſtus Dominus eiecit, vẽdẽtes & emẽtes. Vult ergo dicere Propheta Chriſtũ vẽturum, ſed reformatorẽ fore, & acerrimũ diuini cultus vindicẽ. Quis autem venturus ſit paucis docet: *Quẽ vos quæritis*, inquit, *& Angelus fœderis quẽ vos deſideratis.* Dominus porrò cuius hîc meminit, eſt ille quidẽ Meſſias, quẽ omnes Iudæi expectabãt, diſſimili tamẽ & multũ diuerſo affectu, prout quemq; ſua trahebat voluptas. Quidã, vt Reip. iam miſerè labenti ſuccur- *Ioan. 1.* *Ioan. 2.*

rèret,eamq; in veterem, & prioré libertaté vindicaret. Alij verò ex cõmuni errore ſperabant victorias & triũphos illũ de inimicis reportaturũ,ſuumq; populum diuitiarum copiis aucturũ. His omnibus Vates quidẽ pollicetur venturũ,ſed non ita, vt omnium votis ſatisfaciat. *Ecce venit, ait Dominus exercituum*. Dei optimi, max. authoritatẽ interponere neceſſe fuit, cùm ipſi hunc promiſſionum & fœderis ſui oblitũ putarẽt. Ecce igitur venit ex diuini conſilij decreto, Dei & hominis filius, vt hominũ genus perditũ ſeruaret, Deus de Deo ante ſecula genitus, qui in illa æternitate decreuerat legatum ſuum Ioãnem ante faciem ſuã mittere, vt viã illi pararet: cuius etiam diuinitati teſtimonium perhibuit, dicens: Qui venit poſt me, ante me factus eſt, cuius procumbens, non ſum dignus corrigiam calceorum ſoluere. Dauid hũc Dominũ vocat, cui pater Dominus dixit, vt ſederet à dextris ipſius, donec de inimicis ſuis ſe vindicaſſet. Sileãt ergo in Polonia nuper nati Arriani, ex perditiſſima Lutheranorum, Sacramentariorumq; fece, vel nobiſcũ vnà cum Prophetis, Chriſtũ Deum confiteãtur, quẽ etiã (quatenus erat homo diuinitus de Virgine natus)

Ioan.1.

Pſal.107.

legatum,miniſtrum,& mediatorem totius fœderis & promiſſionũ indicat Vates noſter: Quamquam ipſe toti mundo ſalutis author à Patre conſtitutus eſſet, præcipuè tamen eius legationis miniſtrum Iſraëlitis ſeſe exhibuit,ſicuti Moſi prædictũ fuerat:Prophetã ſuſcitabo eis, inquiebat Dominus,de medio fratrum ſuorum ſimilem tui,&c. Propterea dicebat Chriſtus, quòd miſſus fuerat ad oues Iſraëlis,quę perierãt, & à Paulo circuncisionis miniſter fuiſſe dicitur propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones patrum:generatio tamen incredula illum excipere noluit,cùm à Gẽtibus maxima gratulatione ſit ſuſceptus, vt Deus & homo, cui laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum,Amen.

Deut.18. Mat.15. Rom.15.

HOMILIA XV.

Et quis poterit cogitare diem aduẽtus eius? Et quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum, & ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia, in iuſtitia, & placebit Domino ſacrificium Iuda, & Hieruſalem ſicut dies ſeculi, & ſicut anni antiqui.

IPSI ſunt ter quaterq; fœlices, ac beati oculi, qui Chriſtũ in templũ ſanctũ ſuum venientẽ cõtemplati ſunt, quem multi Reges & Prophetæ olim hunc ipſum vehementer expectarũt, ſtudioſè deſiderarũt, tota deniq; mente & cogitatione popoſcerũt & flagitarunt. Simeõ ille iam ſenio confectus, homo iuſtus, religioſus, & qui expectabat cõſolationẽ Iſraël, plurimũ ſibi gratulatus, quib' verbis Deo gratias ageret vix reperiẽs, dicebat: Nũc dimittis ſeruũ tuũ Domine, ſecundũ verbum tuũ in pace, Quia viderunt oculi mei ſalutare tuũ, &c. Gratus quidẽ & charus ipſi Simeoni, ſuiq; ſimilibus Chriſti aduentus extitit, impiis verò ac pœnitere neſciis, terribilis aſpectu, veluti Malachias ſtrictim notat, pauciſq; explicat. *Quis poterit*, inquit, *ſuſtinere diem aduentus eius*? Huius aduẽtus irã & excandeſcentiam in malos, Baptiſta animaduertens, dicebat turbæ venienti vt baptizaretur ab eo, Progenies viperarũ, quis præmonſtrabit vobis, vt venturã iram effugeretis? Iam verò ſecuris etiã ad radicẽ arborum poſita eſt: Omnis igitur arbor non ædẽs fructum bonum exciditur, & in ignẽ abiicitur, in manu ipſius Meſſiæ erit vẽtila-

Luc. 10.

Luca. 2.

Luc. 3.

brum,& purgabit aream ſuã, cogétq; triticum in horrea ſua, paleã verò exuret igni inextinguibili. Duos fore Euãgelij effectus, Prophetæ vniuerſi præmonſtrarunt, nimirum reproborum caſus & iudiciũ, atq; electorum ſalus, ſanctificatio, & iuſtificatio: quos quidem Simeon paucis comprehendit, dicẽs Chriſti matri, quòd filius ſuus poſitus eſſet in ruinam & reſurrectionẽ multorum in Iſraël, & in ſignum cui cõtradiceretur. Nec mirum alicui debet videri vnã & eandem rem diuerſos atq; contrarios pro materie diſpoſitione ſortiri effectus. Solis calore cerã atq; glaciem liquefactã perſpicimus, vbi lutum & cœnum dureſcit. Vitis etiam florentis odorem hominibus quidẽ iucundiſſimũ, ſerpẽtibus verò nocẽtiſſimũ
2.Cor.2. eſſe ferunt. Apoſtolus aſſerit ſe eſſe iis, qui quidẽ pereunt odorẽ mortis ad mortẽ, illis verò qui ſeruãtur, odorẽ vitæ ad vitã. Sciamus igitur Dominũ Chriſtũ non tãtùm vt credentiũ ſeruatorẽ, ſed etiã vt cõtemptorum iudicẽ veniſſe, ne impunẽ quiduis audendi licentiam, Meſsiæ aduentu homines ſibi pollicerentur Dicit igitur, Quis vel cogitationes ſolũ, nedũ reipſa, diei illius vim ſuſtinere poterit? Cùm enim verũ legis ſen-

ſum in templo,& in Synagogis doceret,atque falſam doctrinam,ac ſuperſtitioſos cultus reprehēderet & eiiceret,Scribę & Phariſæi vix ac ne vix quidem illius glorioſam & præpotentem ferre potuerunt maieſtatem. Nam ipſe erat *quaſi ignis purgans & excoquens,atque vt Borith herba fullonū.* Dies iſte igni ſimilis futurus eſt, quo argenti & auri ſcoriæ,mirifica argyrocopi induſtria defecari ſolent. Quemadmodū enim ignis probatorius & metallicus aurū probat,& à ſcoria ſeiungit,ita aduētu Domini,pij & probi viri, ab impiis diſcriminabuntur, quod quidē Zachariæ vaticinio pariter expreſſū fuerat. Traducam,inquiebat,tertiam partē per ignē. Chriſtus tum in veteri,tū in nouo Inſtrumēto diuerſa ac varia ſortitur nomina,propter effectuū diuerſitatem, quos in homines multiplici vitiorū genere corruptos in dies operatur. De his autē ſimilibus tantùm,quibus Vates noſter vſus eſt,quàm breuiſſimè fieri poterit dicam. Ignis probatorius & metallicus, atq; Borith herba fullonum metaphoricῶs dicitur, quorū ſimilium proprietas in eo ſita eſt, vt impuritati vterque aduerſetur,atq; elegantiæ, & rerū nitori plurimùm conducat. Ignis diſparia *Zach.13.*

diſſimiliaq; ſecernit & ſegregat, paria verò & ſimilia conglutinat atq; conſtringit. Vilia conſumit, pretioſa verò ſicut argentum & aurum ab omni ſcoria repurgat & perficit. *Borith* autem (quæ à Dioſcoride Struthium, à Plinio verò radiçula nuncupatur) cuius ſucco fullones in lauandis lanis, & in eluendis veſtium ſordibus vtũtur, maximè candori & nitori confert. Propterea argento & auro pij comparantur, atq; ipſorũ mores veſte nuptiali. Hæc autem omnia verbi prædicatione in hominibus Chriſtus efficit atque operatur. Fideles enim ab infidelibus, orthodoxos, & Catholicos à peruerſè ſentientibus Hæreticis ſeparat: Gentes & Iudæos plurimùm & religione, & moribus inter ſe diſtantes, quiq; legali cultu &
Epheſ.2. cæremoniis dirimebantur, diruta maceria, vtroſque in ſeipſo, & inter ſe, fidei vinculo copulauit. Viles, i. Chriſtiano nomine indignos conficit, cõſumit, atque funditus perdit: pios verò virtutis amantes, qui auro & argento comparãtur, cõprobat, & ad ſummum perfectionis faſtigiũ perducit: quòd ſi veſtem illam nuptialem, quã in Baptiſmo candidiſsimã indueramus, aliquot maculis aſpergi (vt in hoc corpore verſantibus ſem-

per aliquid vitij aſpergit mūdus, quod ablutione opus habeat) contigerit, ad Chriſtū herbam fullonū recurrendū eſt, vt lotis in regenerationis lauacro, qui nō indigēt amplius, niſi vt pedes lauēt, priſtinā munditiē reſtituat. Ipſe enim ſolus eſt, qui in argyrocopi morem ſedens, igne metallico ac purgatorio aurū & argentū, i. electos ab omni ſcoria repurgat, & ſuo ſmegmate veſtis nuptialis ſordes eluit. Veruntamen ſua habet organa, quibus purificationē iſtam nobis confert, quæ quidem ignis purgatorij nomen, tū in Scripturis ſacris, tū in antiquorū Patrū monimentis obtinuerūt. Primas hîc tenere verbū Dei nō inficimur, & propterea Apoſtolis dictū fuiſſe à Chriſto, Iam vos mūdi eſtis, propter ſermonē, quem loquutus ſum vobis: Quò Petrus reſpexiſſe videtur, cùm dicebat, fide purificari corda hominū. Verbo etiā Baptiſmus cōnecti poteſt quē regenerationis lauacrū Paulus vocat, cui vim purificandi & abluēdi tribuere videtur Ananias, qui Paulo dixit: Surge, baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine Ieſu: ſed & cruce, quā propter Chriſtū ferimus, purgamur. Vnde dicebat ipſe Dominus, Qui vult venire poſt me abne-

Ioan 15. *Act. 15.* *Eph. 5.* *Tit. 3.* *Act. 9.* *Luc. 9.*

get ſemetipſum,& tollat crucem ſuã, & ſequatur me. Qui odit animã ſuã in hoc mũdo, in vitã æternã cuſtodit eam. Hinc Cypria. colligit, martyres ſanguine pro iuſtitia fuſo purgari: cũ alij hac prærogatiua priuati, ad vltimũ quadrantẽ ſoluere teneantur, quæ quidẽ pars ait, ſolis ablata eſt martyribus. Quis igitur niſi in luce meridiana cæcutiens, non planè videat Cyprianũ Chriſtianis priuilegio martyrij, & excellẽtia carentibus, purgatoriũ poſt hanc vitã, veluti per manus tradidiſſe? Soli ipſi martyres eius Cypriani ſententia, ab eiuſmodi pœnis, (quod ad vltimũ quadrantẽ ſoluere vocat) ſoluũtur & liberantur. In his omnibus Tertullianũ magiſtrum ſuũ ſequi videtur, qui lib. de Reſurrect. carnis, in hæc verba prorũpit: nemo enim peregrinatus à corpore ſtatim immoratur penes Dominum, niſi ex martyrij prærogatiua, nimirùm in paradiſo, nõ inferis diuerſurus. Hinc ſuadebat vt pactum & promiſsionẽ in Baptiſmo profeſſam ſeruaremus, alioqui inimic⁹, cui renunciauimus, tradet nos iudici, qui in carcerẽ nos cõiiciet, donec ſoluerimus vſq; ad vltimũ quadrantẽ. Hunc carcerẽ quẽ purgatoriũ vocamus, manere eos poſt mortẽ,

Mat. 5.

(ſine ſanguinis Chriſti ignis metallici iactura) qui non crucẽ in hoc mũdo patienter & ſufficiẽter tulerunt, omnes Eccleſiæ veteris Patres, maiori quàm in vlla alia cauſa, conſenſu profeſsi ſunt. D. Augu. cuius authoritas ſemper plurimũ valuit, multis in locis nobiſcũ facit, nimirũ Tom. 1. de Gen. cõtra Manic. & li. 2. ca. 20. qui fortè agrũ non coluerit, inquit, & ſpinis eũ opprimi permiſerit, habet in hac vita maledictionem terræ ſuæ in omnibus operibus ſuis, & poſt hanc vitã habebit, vel ignẽ purgationis, vel pœnã æternam: ita nemo euadit iſtã ſententiã, nimirũ, in ſudore veſceris pane tuo. Et To. 4. de vera & falſa pœn. ca. 17. & 18. prius purgandus eſt igne purgationis, qui in aliud ſeculũ diſtulit fructum cõuerſionis. Studeat ergo quilibet ſic delicta corrigere, vt poſt mortẽ non oporteat talẽ pœnã tolerare, & To. 10. li. Quinq. homil. Hom. 16. Hi qui tẽporalibus pœnis digna geſſerũt, de quibus Apoſt. dicit. Si cuius opus arſerit, detrimẽtum patietur, ipſe autẽ ſaluus erit, ſic tamẽ quaſi per ignẽ, per fluuiũ igneũ, & vada feruẽtibus globis horrẽda tranſibũt. Quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranſeũdi mora. to. 5. de Ciu. Dei, li. 20. ca. 25. hũc locũ quadã ex parte de Purgatorio intelligit.

Ex his, inquit, quæ dicta ſunt videtur euidẽtius apparere in illo iudicio quaſdã quorundam purgatorias pœnas futuras: Vbi enim dicitur, Quis ſuſtinebit diem introitus eius, aut quis ferre poterit, vt aſpiciat eum, quia ipſe ingreditur quaſi ignis conflatorij, & quaſi herba lauãtium. Quid aliud intelligẽdum eſt? Verùm iſta quæſtio, inquit, de purgatoriis pœnis, vt diligentius pertractetur, in tẽpus aliud differenda eſt. Hæc pauca ex quàm plurimis D. Augu. locis, afferre libuit, authorumq; multitudini citãdæ ſuperſedere cenſui, vt ad vltimã noſtri textus partem interpretandã aggrederer. *Purgabit*, inquit Propheta, *filios Leui*. Ille ipſe Meſſias iudicis etiam in morem, qui throno ſublimi inſidens, ius populo dicere ſolet, ſedebit purgaturus filios Leui, reprehẽſurus nimirùm perquàm acerbè & aſperè Scribarũ & Phariſæorũ impietatem, qui niſi reſipiſcãt, aliud Leuitarũ genus in ipſorũ locũ ſubſtituet, qui offerant Domino iuſta, & ipſo digna ſacrificia. *Erítq; ſacrificiũ Iuda & Hieruſalem, tunc Domino gratũ & acceptum, vt olim, atq; multis ab hinc annis.* Tãta, nõ modò quibuſdã hominibus, ſed potẽtiſſimis populis Meſſiæ iucũdiſsimo aduẽtu, Euãgeliiq; ſui

prædicatione,tamq; miranda morũ mutatio contigit,vt nunquã talis audita,nedum facta fuerit. Huiuſce rei fidem faciẽt Matthæus,Zachæus,& huius ordinis Publicani cũ Magdalena,cæteriſq; peccatoribus tũ ex Iudæis, tum etiã ex Gẽtibus ad religionem cõuerſis. Quis vnquã ſapientiſſimorũ prudentiſsimorumq;, tum legiſlatorũ,tum etiam Prophetarũ, vniuerſo mũdo perſuadere potuit,vt à paternis & iamdiu retẽtis, atque longo vſu & conſuetudine, tritis ac inueteratis moribus & ritibus recederẽt,& nouum cultũ,nouas cæremonias, nouoſq; ritus amplecterentur, cæremoniis,& ſacrificiis veteribus reiectis? Id tamen Chriſtus effecit,quando omnes in ſe credẽtes,ſacerdotes ſpiritales inaugurauit,vt noſtra ſacrificia ipſi grata & accepta eſſent, *ſicut diebus ſeculi*, id eſt, veluti vota & ſacrificia Abelis, & Noëmi,quæ facta fuêre, quando nondũ annorum numero, ſed hominũ generationibus tẽpora ſupputabantur, & ſicut ſacrificia illa poſt Moſem à ſanctis Patribus ritè peracta,quando annorũ numero ſecula cõprehendebantur. In quibus certè omnibus clarum atq; manifeſtũ eſt, fidem & Patrũ, & noſtrã,prorſus eandem eſſe,etiamſi ritus

Luc.5.19. & 7.

fuerint paulò diuerſi. Faxit Dominus Deus vt noſtra ſacrificia, quæ in cœtu fideliũ in dies peraguntur, ſint ipſi grata & accepta, cui laus, honor, & gloria in ſecula ſeculorũ.

HOMILIA XVI.

Et accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox, maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniãtur mercedẽ mercenarij, & humiliant viduas & pupillos, & opprimũt peregrinũ, nec timuerunt me dicit Dominus exercituũ, ego enim Dominus, & non mutor: & vos filij Iacob non eſtis conſumpti.

PEcunia (cui vulgo nũc fere omnia obediunt) amicorum ſtudio ac fauore, iudicũ animos laxari, & à iudiciorũ ſeueritate ad clementiã, vel potius nimiã indulgentiã, maximo rerump. diſpẽdio traduci, atq; ſic ſontes & noxios, legũ ſeueritatẽ, pudoris & modeſtię magiſtrã, elabi ſæpè cõtingere ſolet. Iudiciũ vero illius qui in morẽ argyrocopi ſedẽs, aurũ & argẽtũ à fœce & ſcoria purgatur⁹ eſt, nemo mortaliũ effugere põt: quapropter dicit ſe propius acceſſurũ in Iudiciũ, vt etiam ſit teſtis queẽadmodũ & Iudex, aduerſus maleficos, periuros & huiuſmodi iniquitatis operatores, quos aliqui (de Iuſtitia & æquitate di-

uina non recte iudicantes)fœlices & beatos quondam prædicabant. *Accedam ad vos in iudicio*,&c.breui tẽporis ſpatio,cum improbis,qui ſunt ſcoria, rubigo & palea, iudicio contendam, & ſimul nõ modo de publicis & manifeſtis ſceleribus,ſed de occultis etiã flagitiis pœnas acerbiſſimas,ſupplicij grauitate tarditatẽ cõpenſans, ſumã. Res quidẽ nõ parui faciẽda Dei filiũ cõtra ſeſe iudicẽ præſentẽ habere. Sed quid dico iudicẽ? Imouero etiã teſtẽ,non modò velocẽ ac bene præmeditatũ,ſed omniũ longe locupletiſſimũ,grauiſſimum & certiſſimũ noſtrarũ non tantũ mentiũ & cogitationũ cõſcium, verumetiam dictorum & factorũ arbitrũ. Non enim teſtimonia tunc in longũ tẽpus cautè differenda erunt: nã filius Dei aderit præſens,etiãſi conſciẽtia noſtra(quæ vt mille teſtiũ loco eſt,ita null⁹ eſt crudelior carnifex)nos ſufficiẽter accuſabit atq; conuincet.Solent enim qui accuſantur,vel negare crimina, vel latibula quærere, aut nouis quotidie rationibus diẽ iudicij callidè protrahere,vt tandẽ è iudicis manu elabantur. At nihil horum tunc temporis concedetur:nam *Accedam propè ad vos*,inquit, iudicaturus,vt vbi ſim, nõ erit op⁹ interrogare.

Paraphraſis Chaldęa ſic habet: Erit celer in vos ſermo meus. Quamuis enim Deus nũc nobis non loquatur ore ad os, vt quõdam Moſi loquutus eſt, verbum tamen illius intra nos eſt, cui ſi non obediuerimus, erit in iudicio contra nos teſtis velox. Non igitur Angeli è cœlo, neq; quiſquam ex mortuis modò expectandus eſt, qui nouã aliquam doctrinam auribus noſtris obtrudant. Habemus Moſem & Prophetas, qui in iudicio
Luc. 16. ſurgẽt aduerſus eos, qui veritatis verbo nõ crediderunt, veluti *aduerſus maleficos, adulteros, periuros*, &c. Sub his omnia peccatorum genera facilè comprehẽdi poſſunt, quibus homines in Deũ & proximum peccare ſolent: maleficorum nomine, quos Hebræi Meſchaſcphin & Keſchaphin vocant impios omnes in Deũ, intelligere poſſumus: & eos qui deos alienos habent (nã huiuſmodi pręſtigiatores qui toti ab vno ſolo Deo pẽdere deberẽt, ſuis magicis artibus plurima & ſibi, & aliis pollicẽtur) tũ etiã eos qui nomen Dei in vanũ accipiunt, & qui ſabbatis ipſum Deũ non piè colunt & venerantur, Exo. 22. cautum eſt, ne tales malefici viuere permittãtur. Idẽ habetur Deu. 18. & Mich. 5. Procul igitur à Chriſtianis remoueantur,
quicun-

quicunque per artes illicitas vel futura inquirere, vel morbis mederi, vel pericula alia auertere conſueuerunt: Neque Ioſephi in ſuo chypho inaugurantis, neque Moſis in omni Ægyptiorũ arte docti exemplis, ſuas ſuperſtitiones tueantur & deffendant: Nam ipſos Spiritu Dei Prophetico donatos, & mathematicas caluiſſe conſtat. Adulteros ſecũdo loco vates arguit, ſub quibus & crapulæ & ebrietati (quę viã certè ad omnem impudicitiã & immunditiã parant) deditos intelligimus. Hos enim à Domino iudicãdos teſtatur Apoſtolus, dicens, Scortatores & adulteros iudicabit Dominus, quæ ſententia ſufficit omnibus his cõfutandis, quibus hodie Scortandi licentia, luſus iocuſq; videtur. Nolite errare dicebat idem ipſe Apoſtolus, neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque moles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neq; maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt. Tales ciuitate Dei excludendos docet Ioãnes in Apocalypſeos lib. Foris canes inquit, & venefici, & impudici, & homicidæ, & adulteriis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mẽdacium: Adulterium quoq;

Gen.44. *Heb.13.* *1.Cor.6.* *Apoc.22.*

prohibetur Exod.20. & Leui.20. Tertio loco periuri à Vate noſtro notantur, qui Dei nomine quàm ſanctiſſimo auguſtiſſimóq; abutũtur, ita vt mendaciũ à Deo opt. ma-
Exod. 20. ximo, qui veritas eſt, alieniſſimum confir-
Deut. 5.
Mat. 19. ment. Dominus enim in lege ſanxiuit, ne quis falſum teſtimonium diceret, quod in Euãgelio repetitum eſt. Caueamus igitur, ne quid falſi vel ſermone, vel cogitatione vel literis, vel libellis edamus, quod proximũ aut in fama, aut in rebus ſuis lædat. Aduerſus enim illiuſmodi iudicij exequendi cauſa, comparebit filius Dei, vt de illis pœ-
Dan. 13. nas quàm acerbiſſimas ſumat. Harum rerũ præludia quædam extiterũt in iſtis duobus ſenioribus, qui in caſtiſſimæ Suſannæ cauſa, falſò ac perfidè peierarunt, atque etiam
3. Reg. 21. in Iezabele, quæ cõtra Nabuthum Iezraelitem falſos ac periuros teſtes ſolicitauerat. Peccatur enim hoc peccati genere non modò in cauſis forenſibus, fœderibus, contractibus, aliíſque hominum commerciis, Dei nomen falſò prætexẽdo, ſed etiam cùm inter docendũ quis illo abutitur, vt ſolent hęretici, qui pro verbo Dei, ſui capitis figmẽta rudi popello proponũt. Tenentur tales παραπρεσβείας crimine, qui nũquam inultam ferant diuino nomini illatam contumeliã.

Quarto loco eos, qui mercenariũ mercedẽ fraudant, perſtringit. Hoc enim inhibitum fuerat, Deut.24. Non negabis, mercedẽ indigẽtis & pauperis fratris tui ſiue aduenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas eſt, ſed eadẽ die reddas ei pretiũ laboris ſui ante ſolis occaſũ, ne clamet contra te ad Dominũ, & reputetur tibi in peccatũ. Eodẽ pertinet, quod Iacobus iniuſtis diuitib⁹ ſcribit: Merces operariorũ qui meſſuerunt agros veſtros, quæ fraudulẽter nõ eſt à vobis reddita, clamat: & clamores eorũ in aures domini exercituũ introierũt. Magis magiſq; deſiderarẽ, vt nobiles, qui veſtiũ luxu, ædificiorũ ſplendore & cõuiuiorũ aparatu ſuperbiũt, quorũ nomina in ſutorũ, ſartorũ, cerdonũ, fabrorum, lanionũ, coquorũ, aliorumq; rationariis leguntur, hũc vatis noſtri locũ attẽtius conſiderarẽt, & mercenarios (quorum nomine oẽs illos intelligimus, qui victũ manuũ ſuarũ labore & induſtria ſibi cõparant) nõ verbis minacibus & blaſphemis, vt apud illos moris eſt, cõpenſarẽt. Addit his quinto loco eos, qui per vim & calũniã viduã & pupillũ opprimũt, & qui auerſantur aduenã. Hîc obſeruari operepręciũ fuerit, res pauperum & viduarũ, ac cętero- Iac. 5.

rum,qui humana ope deſtituti ſunt, à Deo præcipuè curari, cum in ſcripturis hos paſ-
Pſal.18. ſim cōmendet. In lege enim dicit: Peregrino ne vim facias: Nā & vos peregrini fuiſtis in terra Ægypti. Nullā viduā nec pupillū affligetis, quod ſi illos affligere pergatis,
Exod. 22. clamando ad me clamabunt, & ego exaudiam eos: In Pſalmis etiam pater pupillorū & Patronus viduarum dicitur. Hinc Francorū reges(qui Chriſtianiſsimū nomen etiā apud Turcas obtinent) ne aliquid quod ad pietatem faceret, omitterent, patronos & procuratores regios inſtituerunt, vt viduarum & pupillorum cauſas gratis agerent, pauperes aduerſus oppreſſores deffenderēt ac tuerētur; atque ſeſe opponerent his etiā rabulis forēſibus, qui auerſantur aduenam, id eſt qui peregrini cauſam iniquo iure opprimunt, ſuntque authores, vt ille cauſa cadat: vel ſaltē ipſius cauſam defigunt, quemadmodum hebrea dictio מַטֵּה ſonat, id eſt cauſam prorogant, galicè, *Ils la pendent au croq*, quia pecuniæ non ſufficiunt vt tot & tantos ſūptus pauper aduena faciat. Poſtremo omnes eos coniungit, qui à timore Dei penitus ſunt alieni, quique pro ſua libidine cæcis cupiditatibus indulgent. Ipſiſſimus

enim totius impietatis fons eſt, omnẽ Dei metum toto animo expuere, quando nulla ratione, quis in officio contineri poteſt, qui Dei timorem animo excuſſit. Ne tamen iſti ſecuri peccẽt, ac ſi de illis Deus pœnas nũquam ſumeret: Verax enim eſt: qui ſemper ſibi cõſtat: ſẽper impios auerſatus eſt: quod ſi animaduerſiones rarius ſpectãtur, & ſcelerati ſępiſſime in hac vita remaneãt inulti, rebuſque ſuis ſecuri fruãtur, ſupereſt tamẽ altera vita, cui Dominus Deus pręeſt, apud quẽ experiemur flagitioſis non impune fore, quod malefecerint. *Ego enim Dominus mihi conſto*, neq; veſtro more ſentẽtiam meam muto. Ne ergo putetis ſi differatur iudiciũ, propterea nullũ eſſe futurũ. Ego ſum Deus iuſtus, qui non mutor, etiamſi pœnas ſcelerum, quas merebamini nondum experti ſitis. Hoc enim clementiæ, bonitati & miſericordiæ tribuendum erat, *quod vos filij Iacob non eſtis conſumpti.* Propter promiſſiones tũ ipſi Iacobo & Abrahamo factas mihi ſemen reliqui. Ne igitur dixeritis, ſi Deus ita eſſet ſeuerus in puniendis maleficis, periuris & adulteris, vt moroſi prophetæ clamant, omnes quotquot ante nos extitére penitus eſſent conſumpti, Deus enim qui

nullius compos eſt mutationis, decreta ſua quę ſunt æterna, nullo pacto variat. Omnia altercationi & mutationi ſũt obnoxia præter Deũ. Homo qui cætera tum animãtia, tum vitæ expertia præcellit, plus millies in diem ſententiã mutat. Deus vero qui non in morem aliarũ rerũ mutatur, ſed ſemper ſibi cõſtat, quę decreuerat in pręſtigiatores, adulteros, periuros, & in eos qui ſine timore ipſius omni ope humana deſtitutos vi opprimũt, tẽpore opportuno exequetur. Cui laus, honor & gloria in ſecula ſecul. Amen.

HOMILIA XVII.

A dieb⁹ patrũ veſtrorũ receſſiſtis à legitimis meis, & nõ cuſtodiſtis: reuertimini ad me, et reuertar ad vos, dicit Dominus exercituũ, & dixiſtis, in quo reuertemur? ſi affliget homo Deum? quia vos cõfigitis me? & dixiſtis in quo configimus te? in decimis & primitiis. Et in penuria vos maledicti eſtis, & me vos configitis gens tota.

ABuſus, & malæ cõſuetudinis corruptela, tẽporum diuturnitate, & longi temporis præſcriptione (vt Iuriſcõſulti loquũtur) nec permanere neque deffendi aut confirmari debet: Cum igitur Hebræi iam inde à maiorũ ſuorum tẽporibus à diuino fœdere & legis præceptis turpiter ac impiè

deflexiſſent, iure & merito culpantur peccatis etiam ipſorum altius repetitis, quãdoquidem tam longa Dei patiẽtia non abuti debuiſſent. *A diebus patrum veſtrorum, &c.* Quædam ſunt vitia quę nationibus ſpeciatim tribuuntur, vt Gallis leuitas, Germanis ebrietas, Hiſpanis tyrannis, Italis veneficia, Anglis aliiſq; inſularibus inconſtantia, Hebræis vero incredulitas atq; cordis duritia, qua à Paulo notãtur, cum dicit: Gręcos ſapientiã, Iudęos verò ſigna & miracula quęrere: Propterea à Moſe & Prophetis populus duræ ceruicis nũcupatur. Interim ſemper ſunt quãplurimi ab his vitiis alieniſſimi, quipequi cũ Anacharſe reſpõdere poſſunt, patria mihi, alij verò patriæ dedecori ſunt. Mirabitur tamẽ quiſpiã adquid Deus tam frequẽter huic populo auitã priſcorũ patrũ malitiã inculcauerit: Sed meminiſſe oportet, Prophetę cum illis negotiũ eſſe, qui ſub plauſibili patrũ nomine peccãdi licentiã volabãtur. D. Stephanus hoc ipſum feciſſe videtur, cum patrũ exẽplo, cæremoniarũ legẽ per Chriſtum abolitam, ſui ſeculi homines tueri vellẽt. Hunc locũ in Catholiquos qui ſe patrũ veſtigia ſequi gloriãtur, detorquere nõ ceſsãt Hæretici. Sed nimis oſcitãtes hal-

1.Cor.1.

lucinantur. Nam hîc de doctrina nulla fit mentio, ſed de corruptis moribus, quos in Eccleſia viguiſſe à multis ſeculis ingenue fatemur. Doctrinã vero (de qua inter nos controuerſia eſt,) ſemper in Eccleſia puram & ſincerã fuiſſe ab Apoſtolis ad noſtra vſq; tempora per manus patrũ noſtrorum integrè ac inuiolatè traditam, liquido conſtat. Quod ſi in aliquibus fidei capitibus ipſos errare (nihil enim humani ab ipſis alienum putamus) cõtigerit, aut ſeipſos correxerunt, vt de Auguſtino in retractationũ libris liquet, aut ab Eccleſia notati ſunt, vt de Tertulliano, Cypriano, Lactantio & cæteris videre eſt. Igitur à nobis ſanctorũ patrum (de Apoſtolis & Apoſtolicis viris taceo) ſcripta (non quatenus eſſent Spiritus ſancti oracula) ſed vt ipſis oraculis & Eccleſiæ Catholicę conformia piè ſanctéq; reueremur & colimus. Ne ergo temerè patres παραπρέσβειας inſimulent Hæretici, ac ſi ſuo munere in docendo non eſſent probè functi. Mores impios & nefarios tum noſtri ſeculi, tum aliorum fortiter accuſent, modo doctrina ſyncera, pura & Catholica, ſarta tectaque remaneat. Nemo eſt adeò remiſſus, qui morum labentium

reſtitutionem non vehementer deſideret: Sed opus eſſet pœnitentia, vt docet vates noſter: Reuertimini ad me & ego reuertar ad vos, dicit dominus exercituum. Etiamſi à diebus patrum ſuorum à diuinis inſtitutis receſſiſſent viri Iudæi, qui Malachiæ ſæculo degebant, atque ea neglexiſſent, illis tamen veniam pollicetur, ſi ad Deum ſeſe conuertere velint. Reuertimini ad me, &c. Hos auerſari vates videtur, qui poſt primi hominis peccatum, nullam mortalibus libertatem relinquunt, ſed arbitrij vires omnino ſublatas volunt, acſi trunci & bardi eſſent. Scimus quidem cõuerti ad dominum opus & gratiam Dei eſſe, qua facit, vt vocanti pareamus, & trahentem ſequamur: Noſtræ verò facultatis ac noſtrarum viriũ eſt, non aſpernari gratiam eius, & ſic ad nos reuertitur, quando illum vocantem audimus, & trahentem ſequimur. Quamobrem dominus dicebat ſuis diſcipulis an vellent abire vt & cæteri, qui eum de corpore & ſanguine ſuo diſſerẽtem audire noluerant. Hieruſalem etiam arguebat dicẽs, quoties te volui congregare, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub allas, & noluiſti. Ad dominum ſanè vocantem con-

uerti noluerũt,& ideo ad illos nõ eſt cõuer ſus, qui de libero arbitrio plura deſiderat, legat Diatribam Eraſmi cum duabus hyperaſpiſtibus, qui hunc errorem per Germaniam ſerpentem, non paſſus longius graſſari, cum philoſophiæ Chriſtianæ & humanæ grauiter aduerſetur. Quemadmodũ nullum peccatum eſt, niſi voluntarium, ſic nullus omnino reſipiſcere poteſt, & ad meliorem frugem ſeſe conuertere, niſi libere volens: Alioqui fruſtra Vates populum exhortaretur ad pœnitentiam, dicens, *Conuertimini ad me, & ego cõuertar ad vos.* Nec etiã reſpondiſſent *Quanam re conuertemur?* immò verò dixiſſent, omni libertate deſtituti neceſſario admittimus, quæ hactenus tua oratione perſtrinxiſti: Sed longe aliter ſentientes tergiuerſantur, ne ſcelus ſuũ agnoſcant. Hic certè mos omnibus hypocritis peculiaris eſt, vt Deum potius accuſent quàm peccata ſua confiteantur. Deus autem in apertum illos atque peccata ſua in lucem edit *Num homo Deum adfigit?* Verbum קָבַע diripiendi & inuito alicui rem aufferendi ſignificationem habet. Qualis eiuſdem verbi vſus habetur. Prouerb. 22. Dominus illis vim faciet qui animo pauperum

vim intulerunt. Propterea Ionathamin ſua Paraphraſi ita habet: *Num ita ſe quiſquam geret, vt iram ſibi præſentis iudicis cōſiliet? quoniam vos bilem mihi mouere non dubitatis?* Perinde acſi diceret Vates, iuſtum ne & æquum eſſe cenſetis, vt treſſishomontio vappa & lippus & in tenui farragine mendax, qui nihil illuſtre egregiúmq; præter cæteros habeat (vt Adam ſignificat) Iudices, Principes vel Deos deſpoliet? indignum enim eſt quemquem etiam abiectiſſimum defraudare, principem verò indigniſſimum, Deum autem optimum maximum, grande ſcelus & morte piandum. Quis ignorare poteſt eos, qui in Principes, Reges & Imperatores ſuos inimicè repugnarūt & hoſtiliter inſurrexerunt, quàm acerbiſſimas pœnas dediſſe? Abſalon qui aduerſus patrem aciem ſtruxerat, pœnas tanto ſcelere dignas paſſus eſt. Maximus Britannus, qui religionis pretextu in Valentinianum iuniorem Imperatorem arma tulerat, poſt aliquot ſucceſſus (vt videbatur) fortunatos, laqueo tādem ſuo colo iniecto vita priuatus eſt. Colligneus deniq; Thalaſſiarcha, qui in gallorū Regem & Regnum coniurauerat, mortem omnium turpiſſimam, ſibi ſuíſque miſerri-

2. *Reg* 18.

Niceph. li. 12 *cap.* 19. 20. & 21.

mam concitauit. Quod ſi ita periculoſiſſimum eſt principi ſtomachũ mouere, quantomagis Deo ipſi vero qui etiam iniuriam diis gentium illatam, non dimiſit inultam? Brennus Gallus, & Dyoniſius Syracuſanus tyrannus, qui deorum templa ſpoliarunt, Dei optimi, Maximi vindictam cum ſuis aſſeclis tandem aliquãdo ſunt experti. Vnde in hodiernum vſque diem perſeuerat prouerbium, cũ de aliqua re, quæ ſuis poſſeſſoribus damnum affert, fit mentio, aurũ Tholoſanum eſt. Non igitur mirum eſt, ſi maledictione maledicti eſſent Iudei, & mala vndiquaque præmerentur, cũ furti apud Deum tenerentur, propterea quod templi miniſtris decimas atque primitias aliáſve oblationes non bona ſatis fide perſoluerẽt. Peccatum enim ipſorum etiamſi multiplex & varium eſſet, decimarum tamen & primitiarum tantum meminit, eo quod in his fraus facilius committi poterat, & nimis etiam frequenter committebatur. Ler verò præcipiebat decimas & primitias iuſtas & debitas reddere, vt eccleſiæ miniſtris, quibus aliorum animi paſcuntur de victu & veſtitu prouideretur. Leuitæ, qui per omnes tribus diſtribuendi eſſent vt verbum

Vall. Maximus de Religione contempta.

Exod. 12.

Dei interpretarentur, commodè non poterant prouinciam aliquam occupare, prouiſum igitur illis fuit, vt decimas & primitias ab aliis tribubus acciperent, quibus omnibus perinde frui poterant, acſi illas ex patrimonio ſuo, aut ex araea ſua vel torculari collegiſſent. Decimarum varia fuiſſe genera docet Hieronimus. Δεκάδα, inquit, hoc eſt, decimam partem frugum Leuiticę tribui populus ex lege debebat. Rurſum ex ipſis decimis, Leuitæ hoc eſt, inferior miniſtrorum gradus decimas dabat ſacerdotibus. Et hæc appellatur δευτεροδεκάδη. Erant quoque & aliæ decimæ, quas vnuſquiſque de populo Iſrael in ſuis horreis ſeparabat, vt comederet eas, cum iret ad templum, in vrbe Ieruſalem & in veſtibulo templi & ſacerdotes & Leuitas inuitaret ad conuiuia. Erant præterea & aliæ decimæ, quas pauperibus recondebant quæ Græco ſermone πτωχοδεκάδαι appellabantur. Vniuerſus verò populus decimas & primitias illas iure diuino iis, qui ſacris intererant debitas ſurripiebat: neque dubium eſt quin ſuã paupertatem obtendentes, in medium afferrẽt maximos ſumptus, quos inſtauranda ſacra æde, & ſancta ciuitate inſumpſerant. Tum

Hieron. in caput 45. Ezechiel.

etiam Perſonarum bellum, quod diu ſuſti-
nuerant, denique etiam impuram ſacerdo-
tum vitam, qui & vxores alienigenas, pro-
phanas & à vero Deo alienas ſibi in matri-
monio copulauerant. At verò nihil obeſt
quo minus ſacrilegij à Deo optim. maxim.
criminentur, in eo quod decimas non ſol-
uerent. Poſſunt enim & hæc omnia noſtris
temporibus accommodari. Quamuis enim
Chriſtus ſua morte à legis ſeruitute nos li-
berauerit, nec veteri ritu amplius tenea-
mur, miniſtris tamen & pauperibus ab Ec-
cleſia veteri conſultum, prouiſum atque
1. Cor. 16. proſpectum eſt, vt Paulinæ epiſtolæ, & A-
2. Cor. 9. poſtolorum actus teſtantur. Poſtquam ve-
Act. 2. & 11. rò Imperatores & Reges Chriſto nomen
dederunt, Eccleſias diuitiis auxerunt (vti-
nam & virtutibus eſſent auctæ) decimas &
alios redditus aſſignando, vt Epiſcopi, Sa-
cerdotes, Parrochi, Scholæ & pauperes a-
lerentur, atque templa & quę templis ſunt
neceſſaria inſtaurarentur, ſed proh Deum
hodie priſcorum & veterum principum pia
liberalitate totùs penè abutitur mundus!
Reges ipſi decimas prætextu neſcio quo,
belligerendi contra Turcas & alios infide-
les à ſacerdotibus exegerunt, atque in ipſis

exigendis vſque in hodiernum diem perſeuerarunt nobiles vt ſuam nobilitatem pauperem nihil operantes, tueri poſſint, ſatis ſubtilem modum ſubripiendi Eccleſiæ bona aſtutè excogitarunt. Habent enim ignauos, ineptos & ſeruilis ingenij ſacerdotes pileo tenus, quos vulgus baiulos& cuſtodinos appellant, qui media diſpenſatione vel (vt cum diuo Bernardo propius loquar) diſſipatione Epiſcopatuum & omnium fere eccleſiarum redditus expiſcati ſunt, ab eo tempore, quo ſacroſancta electio aliquorum tyrannide in eccleſia deſiit, & nobilitas auaritiæ potius quàm virtuti ſtudere cœpit. Taceo infinitos prope alios ſurripiendi bona Crucifixi modos, quibus Deo hodie illuditur. Nec mirum cuiquam eſſe debet, ſi execratione execrati ſimus, quod vniuerſi fere huiuſmodi tehnis Deum ſpolient. Soluant interim Chriſtiani quę ex veteri more & conſuetudine debent, reformationem aliquam à Deo opt. max. expectantes, cui laus, honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Inferte omnem decimam in horreum, & ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc, dicit dominus: Si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem vſque ad abũdantiam. Et increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ veſtræ, neque erit ſterilis vinea in agro, dicit dominus exercituum, & beatos vos dicent omnes gentes. Eritis enim vos terra deſiderabilis, dicit dominus exercituum.

1. *Cor.* 9. APoſtolus multis & variis tum rationibus tum exẽplis probat, eos qui ſacris oleũ & operam inſumunt, licitè à reliquo populo tẽporalia exigere poſſe, immouero parũ eſſe, ſi qui ſpiritualia ſeminant, meſſuerint temporalia: Ne cuiquam porro moleſtum ac graue videatur, decimas & ea, quæ ex more & ex veteri cõſuetudine tribui, pandi conferríque ſolent, eccleſiæ miniſtris bona fide perſoluere: Nam tũc ſentiemus nos Dei benedictione viſitari, id eſt omnibus bonis & ſpiritualibus & temporalibus dominus Deus ita nos augebit & cumulabit, vt gentes hanc tantam fertilitatem & rerũ copiam videntes, beatos nos eſſe ſemper

ſint

ſint prædicaturæ, qui terram tenebimus tã amœnam, tam fertilem, tam feracem non modo in ſemẽte & frugibus gignendis, ſed etiam in hominibus omni gratiarum genere cumulatis & auctis. *Inferte omnem decimam in horreum.* Nolite me in decimis & primitiis defraudare, ſed afferte ſuas quiſque decimas in horreum ſacerdotale, vt ſit, quod diuidatur in domo mea, id eſt, quod diſtribuatur Leuitis, & Sacerdotibus, qui miniſterio apud me funguntur. Voluit dominus Deus Eccleſiæ ſuæ miniſtris ita prouiſum eſſe, ne ipſi paupertate preſſi ſuum miniſterium deſererent, populuſque in varias, fœdas & pernicioſas hęreſes laberetur: Quemadmodum noſtro ſæculo obtigiſſe, totius Reipublicæ Chriſtianæ maximo incommodo, videre licet. Laruati neſcio qui prothonotarij, qui geſta martyrum, ſcilicet ſcriptis mandant, omnium fere Eccleſiarũ bona rapuerunt ac prædati ſunt: Pars interim eccleſiarum maxima eruditis atque doctis paſtoribus deſtituitur. Doctrina verbi Dei friget, atque inde ſequitur totius Chriſtianæ religionis contemptus: Nam qui nõ Dei verbum curat, quo animi noſtri in ſancta religione fouentur atque paſcuntur,

neque ipſius etiam verbi miniſtros, quomodo Deum religionis authorem curaret? Operam demus ergo in poſterum, ne ſimus adeò parci ac tenaces in ſoluendis decimis, vt ſit in domo domini, quod templi ſpiritalis miniſtris cumulatè ſuppeditetur. Exhortationem affectionibus plenam ſubiicit Vates, qua ſuorum auditorum animos ad meliorem frugem concitans, melioris ſortis ſpem facit, ſi ſua vitia emendarint. Omnes enim decimas adducere iubet, vt intelligant, nihil ab ipſis fraudulenter detineri oportere. Nam ſi Ananias & Sapphira ſint morte mulctati, propterea quod ex pretio prædij interuertiſſent, quodquidem ſeruare poterant, atque venudatum in ipſorum erat poteſtate, quid Deus his faciet, qui nihil ſoluunt, imo verò ab eis qui lubenter pendunt vi & violentia ſubripiunt? Cauſarij hugnothorum & Circumceliones (ſi Deo placet) reformatiſſimi, qui aduerſus regem noſtrum Henricũ Chriſtianiſſimum arma ferunt, omnes Eccleſiæ prouentus in Delphinatu, Prouincia, Vaſconia prædati ſunt. Nec cuiquam id mirum eſſe videatur, quandoquidem Ioannes Hus ip-

ſorum proauus in Conſtantienſi ſynodo hæreſeos damnatus, & imperatoria ſententia ignibus adiudicatus, decimas vitioſis ſacerdotibus non eſſe tribuendas antè docuerat, Vualdenſes ſequutus, quorum ſucceſſione ille ſuíque gloriantur. Omnes igitur iſtos miſſos facientes, *omnem afferamus decimam in domum domini*, vt ſit quod vnicuique iuxta gradum & meritum ſuum tribuatur. Apoſtolus enim ab Epiſcopis exigit, vt hoſpitales ſint, quod fieri nequit, niſi diuitiis abundent. Vtinam noſtrates Epiſcopi meminerint eorum, qui ante ipſos Eccleſiam Dei rexerunt, nimirum Exuperij Tholoſani Epiſcopi, Paulini Nolani, Spyridionis, Ioannis Eleemoſinarij, & infinitorum propè aliorum, quorum miſericordia & hoſpitalitate principes excitati ærarium ſacerdotale locupletarunt. Si veteres illos ſymmiſtas imitaremur nec Valla nec ipſius ſimiles, in Eccleſiæ diuitias ſic inueherentur, nec piorum illorum Imperatorum & Regum pietatem fraudatam fuiſſe proclamarent. Prætereà ſi nullæ eſſent in Eccleſiis diuitiæ, ceſſarent Scholæ, quæ ſemper viris cordatis & piis curæ fuerunt.

1.Tim.3.

Vnde ſuſpicor tot decimas, quibus monaſteria gaudent, ea ratione datas fuiſſe, vt pauperes in ſcholis alerentur, & tandem aliquando miniſterio eccleſiaſtico digni fungerentur. Hinc perſpicimus monaſteriorum ſitum, veterem illam Platonis academiam referre, cum tam procul ab omni magnarum vrbium tumultu ſeparentur, vt & pietati & literis commodius vacēt. Magnus ille Baſilius, & Theologus Nazianzenus vitam illam monaſticam ſanctis moribus & bonis literis florentem quondā profeſſi ſunt, quippe qui ad Archiepiſcopatū & Epiſcopatum cooptati, ſuis doctiſſimis ſcriptis, & ſacratiſſimis concionibus, illius ætatis Arrianos à principibus tunc temporis deffenſos atq; protectos, è ſedibus ſuis, quas tyrannide multas iam occupauerant, magno animi robore deturbarunt. Nemini enim (vt mihi perſuadeo, moleſtum & graue eſſet, decimas omnes ad ærarium ſacerdotale afferre, ſi ex æquo & bono diuitiæ, ſacerdotibus, pauperibus, templis inſtaurandis, & atque ſcholis conſtituendis ac regendis inſumerentur. Atque etiā ipſas cœli cataractas nobis aperiri, & quiduis boni ex imo fundo profuſiſſime demitti ſentirem⁹,

adeò vt nobis non ſatis vaſorum & horreorum futurum eſſet,ad tantam Dei benedictionem excipiendam. Tanta bonitate & clementia erga homines Deus opt.max. afficitur,vt etiam velit de ſeipſo ſumi periculum, ſi non effuderit ſuam benedictionem ſuper illos,qui mandatis ipſius obtemperauerint & obediuerint. Neq; illud præcepto de non tentando Deo aduerſatur. Nam in hoc præcepto, non tẽtabis dominum Deũ tuum,vetatur ne aliquid præter præſcriptũ cum domino Deo agatur, Hîc vero craſſis & infirmioribus,qui duntaxat temporalia ſapiebant,Deus quaſi illorum examini ſeſe ſubiiciens,vt ex pręſcripto agerent,ſuadet. Periculum aiebat dominus, de me ſumite quæſo, *ſi non aperuero cataractas cœli*, &c. *Increpabo etiam pro vobis deuorantem*, Quamuis enim agricolis raro ſatis ſupérque eſſe ſoleat,Deus tamen policetur, non modo ſatis,ſed etiam ſuper,ſeſe daturũ his, qui decimas fideliter ſoluerint. Quoniã vero obtingere ſolet,vt is annus qui rei frumẽtarię cõmodus eſt, arboribus & vitibus plerúmque ſit incommodus,propterea promittit dominus auertere Locuſtas,Brucũ,cęteráque infeſta fugare animalia, quæ vitibus

aliiſque arboribus, vel etiam terræ frugibus nocere poſſent. Deuorantis enim nomine, omnia intelligimus, quæ fruges infeſtare, corrumpere atque perdere ſolent, qualia ſunt inſecta & vermes omnis generis, vnà cum noxiis & incommodis tempeſtatibus, quæ meſſem aut vindemiam ſperatam intercipiunt. Deſinant ergo omnes illi ſuperſtitioſi ac mēdaces Aſtrologi, futuram terræ ſterilitatem fœcunditatémve ex cœli diſpoſitione (ac ſi falli non poſſet) prænunciare. Omnes Ægyptiorū ſapientes, qui mathematicas probè callebant, illam tum fœcunditatem, tum etiam ſterilitatem, quam Ioſeph ſpiritu Dei afflatus præſciuit, ignorarunt. Terræ itaque ſterilitas, & frugibus nocentia, à Deo opti. maxi. propter ſcelera noſtra, proculdubio immittuntur. Ne miremur hodie præter incommodas tempeſtates, horribiles bellorum incurſus, quandoquidem ab Agricolis ipſis etiam ad Reges vſque paſſim in decimis & aliis eccleſiis redditibus peccetur. Sed redeamus ad noſtri vatis oracula, quibus emendato populo promittit tanta bonorum copia potiri debere, vt à cæteris nationibus, beatus ac fœlix populus iſte ſit pronunciandus & ce-

lebrandus quia terram tam fertilem occupabit, cum antea nõ ſine ſummo dedecore atq; infamia inter Barbaros homines, penurię cauſa, verſaretur. Paraphraſtes Ionathã hunc locũ ita vertit, *quia terrã inhabitaturi eſtis, auguſtiſſimo nomini meo dicatam, & mea voluntati per omnia ibi reſpõdebitis.* Vbi Deus purè colitur, ibi vbertas & copia bonorũ omnium piis & optimis viris ſuppeditatur. Iunior fui & tandẽ ſenui inquiebat Dauid, nec vidi iuſtũ derelictũ, nec ſemẽ eius quęrens panem. Cum verò hęreſes, ſuperſtitiones & falſi cultus inducuntur, terram Dei maledictione & execratione feriri ſentim⁹, veluti temporib⁹ Achabi & Iezabelis factũ eſt, quando cœlum tribus annis cum dimidio clauſum eſt. Antequam Gallia noſtra nouis & peregrinis doctrinis inficeretur, ob ſuã fertilitatẽ ab omnibus beata celebrabatur. Cũ vero veterem & antiquam religionẽ pertęſa, nouos neſcio quos ritus & opiniones Eccleſiæ Catholicæ olim funditus inauditos, pro verbo Dei amplecti & collere cœpit, tanta omniũ rerũ penuria & caritatę preſſa fuit, vt in omni memoria omnino ſit inauditũ Gallos panẽ & vinũ tanti ęmiſſe, quãti his ꝓximis annis elapſis emerũt.

Pſal. 36.

3. Reg. 17.

Veterem ergo & auitam religionẽ ambabus (vt eſt in prouerbio) vlnis excipiamus, atq; decimas omnes ſicut patres noſtri bona fide perſoluamus, vt tandem aliquando non ſolum illa frugũ conſueta & fœlici abundãtia ſed etiam illa requie, quam expectamus, perẽni beati & fœlices frui in Chriſto poſſimus, cui laus, honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA XIX.

Inualuerũt ſuper me verba veſtra, dicit domin⁹. Et dixiſtis, quid loquuti ſumus contra te? dixiſtis, vanus eſt, qui ſeruit Deo: Et quod emolumẽtum, quia cuſtodimus præcepta eius, & quia ambulauimus triſtes coram domino exercituũ? ergo nũc beatos dicimus arrogãtes: ſiquidẽ ædificati ſunt faciẽtes impietatẽ, & tentauerũt deũ, & ſalui facti ſunt. Tũc locuti ſunt timẽtes dominũ vnuſquiſque cũ proximo ſuo: & attendit dominus, & audiuit: & ſcriptus eſt liber monumẽti corã eo timentibus dominũ, & cogitantibus nomẽ eius, & erunt mihi, ait dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculiũ: & parcã eis, ſicut parcit vir filio ſuo ſeruienti ſibi. Et cõuertimini, & videbitis quid ſit inter iuſtum & impium: Et inter ſeruientem Deo, & non ſeruientem ei.

ETiamſi fuerint pauci admodum, qui Diagorę & Prothagoræ turpiſſimos atque nephādiſſimos errores, à ſapientum & egregiè cordatorum hominum mentibus alieniſſimos, ſint ſecuti, de diuina tamen prouidentia erga homines & cura, tam diuerſæ & variç fuerunt opiniones, vt mirum ſit in re tam ſeria, tot præclaros viros offendiſſe: præcipue illos ipſos, qui Moſem aliósque Prophetas amplecti profitebantur, quales Malachiæ temporibus fuiſſe cōſtat, de quibus Deus per vatem cōqueritur ſub hac verborum formula. *Inualuerūt ſuper me, &c.* Perinde ac ſi diceret. Multis nimium duris ac blaſphemis contra me ſermonibus egiſtis: Non modo tacita cogitatione apud ſeipſos, Dei opt. max. prouidentiam illi nefarij & impij accuſabant, ſed etiam ſuggilationem in vulgus odioſè declamantes ſpargebant: Quod quidem ſimplicium mentes à pietate & diuino cultu non parum reuocabat atque reflectebat. Eadem impudētia vſus eſt Rapſaces coram ſimplici popello, dum obſideretur Hieruſalem ciuitas, ſummíſque prçmeretur anguſtiis, ac ſi Deo ſuiipſius cultores minimè curæ eſſent. Qui vero ab Ezechia Rege pientiſsimo miſſi fue-

1. *Reg.* 18.
2. *Paralip.* 29.
Iſa. 37.

rant, fruſtra Râpſacem rogarunt, vt alia lingua à vulgo non intellecta vteretur, quo minus rudes & ſimplices in huiuſmodi cõ-
Iob. 2. tra diuinam prouidentiã blaſphemis effatis offenderentur. Iobus ab amicis ſuis & cõiuge hiſdem tẽtationibus petebatur: Quaſi Deus parui feciſſet pietatẽ, qua tum à Iob, tum ab aliis piis viris pientiſſimè & ſanctiſſimè reuereri atque coli ſoleat. Hi omnes, qui prouidentiæ diuinæ negotiũ faceſſunt, ab externa huius vitæ fœlicitate, qua mali plerumq; fruuntur, & à cruce, quam pij ferre coguntur argumenta petunt, queadmodum iſti cõtra quos vates inuehitur. Dicebant enim vanũ eſſe Deo ſeruire, nec bonam ab ipſo mercedẽ ac retributionẽ illos ſperare debere, qui eum ipſum colunt, & vt rem clariorem manifeſtioremq; facerent, exemplo ab ipſis ducto confirmant. Quid enim quęſtus nobis accedit, quod obſeruationẽ eius obſeruauimus, quodq; Domini omnipotẽtis cauſa nos affligamus & humiliter gerimus? Hęc verba hypocriſim redolent. Hypocritæ enim quia ad temporalia
Mat. 6. dũtaxat reſpiciunt, atq; propterea à Chriſto dicũtur iam ſuam recepiſſe mercedem, niſi ſe quamprimum cõpenſatos in hac vita

cenſuerint, Deum iniuſtitiæ arguũt, minimè conſiderantes tempus aliquando fore, quo omnes homines digna factis ſuis præmia recipient. Non minus verè quàm grauiter ab Apoſtolo dictum eſt, accedentem ad Deum, credere oportere, quòd Deus ipſe ſit, quod etiam ſe eorum remuneratorem præſtet, qui quærunt eum. Propterea idem apoſtolus coronam ſibi in cœlis repoſitam aſſerere audebat, verbis Domini innixus, dicentis copioſam mercedem ſuis in cœlo cuſtodiri. Ad quod videtur Petrus reſpexiſſe, qui fidelibus ſuadet, vt ſuam vocationem bonis operibus certã reddãt. Abſit igitur procul à nobis infidelitas, omnium malorum radix, qua quidem excæcati hypocritæ Deum ſuos cultores deſerere, improbis fauendo, freti temeritate & audacia, niſcio qua, dicere audent. *Et nunc inquiunt, ſuperbiſsimi ac improbiſsimi quique nobis cenſeri poſſunt beati.* Nam qui impiè agunt, domos habent vndiquaque auctiſsimas, rebúſque omnibus abundant, etiamſi ſuperbia ſua inflati, cum religione ſimul Dei leges omnes contemnunt, & illi præſcribere ac præmeditata inobedientia, de illius ſeueritate periculum face-

Heb. 11.
2. Tim. 4.
Mat. 5.
2. Pet. 1.

probos hypocritas falſò ſeſe iactãtes vitam omnibus numeris abſolutiſſimam (quæ in præceptorum obſeruatione & carnis mortificatione conſiſtit) egiſſe, deffendant ac tueantur. Ipſi ſeſe mutuo in Verbo Domini conſolabantur, ſimulq; ſeſe opponebant ſcandalis,quibus rudes & ſimplices offendi poſſent,aliter rem etiam præſentibus exem plis validiſsimiſq; tum rationibus tum argumentis probatam & cõfirmatam, interpretati. Timor Domini ſatis ſupérque ſufficiens eſt,vt nos in ſtatione retineat,neque Sophiſticis & apparentibus hæreticorũ rationibus à veteri religione, Verbo Dei ab Eccleſia Catholica tantum ſanè intellecto cõfirmata, dimoueri patiamur. Sed audiamus quid inter ſe loquuti ſint ij, qui timorem Domini præ oculis habuerunt, & quonam pacto proſperitatem impiorum, vtpote Perſarum, & Samaritanorũ, veros Dei cultores perſequentium, ſint aliter, quàm hypocritæ interpretati. *Dixerũt enim illi inter ſe, ad ſuum quiſque proximum quòd & attendat Dominus*, reſque omnes mortalium cernat atque intelligat, non omiſſurus vindictam impiorum, quantumuis diu ceſſet atque moretur. Et quod ei in gratiam eo-

hyſtoriis reperiuntur, quæ volens ſciénſque prætereo, vt reliquum huius tertij cap. contextum paucis attingamus. *Attendit*, inquit, *& audiuit Dominus: & ſcriptus eſt commentarius coram eo, & cæt.* Deus attendit, audit, ac numerat omnes ſuorum gemitus, quibuſcum in paleſtra perſiſtit, ne nimium præſsi amimum deſpondentes ſub onere ſuccumbant. Non enim opus habebit aliquo, qui ei ſuggerat bonorum tolerantiam, neque etiam tyrannorum exceſſus quum cōmentarium ſemper præ oculis habeat, qui ei omnium non ſolum bonorum, ſed etiam malorum memoriam refricet. Hæc metaphora à Regibus ducitur, apud quos plerumque commentarij in vſu eſſe ſolent, refricandæ memoriæ cauſa. Similis eſt & ille loquendi modus qui habetur Exod. trigeſimo ſecūdo. Expunge me quæſo è libello, quem ſcripſiſti. Ea ipſa phraſi loquitur Chriſtus apud Lucam, capite decimo. Vbi diſcipulorum nomina in cœlis ſcripta eſſe ait, & ipſos eo nomine gaudere iubet. Faciunt hæc plurimum ad piorum conſolationem, quandoquidem certiſsimè pro comperto habeant, Deum, in quem nulla cadit

obliuio, rationem habere tum ſuorũ illorũ ſtudiorum in excolenda pietate, tùm etiam impietatis ſceleratorũ, qui ad verba ocioſa
Mat.12. vſque ſunt reddituri rationem, cùm commentarij in illo tremendo iudicio aperientur. Tanta enim eſt in hoc præſenti ſeculo rerum omnium confuſio, vt vix iudicari poſsit, propter aſsiduas piorum perſequutiones, quoſnam Deus ſuo fauore proſequatur, quoniam hædi impuri cum ouibus in agro dominico permiſcentur vſque ad
Mat.25. veſperum, vbi paſtor alteros ab alteris ſepa rabit. Profectò tunc temporis, qui timuerunt Dominũ probi viri, æquitatis ſtudioſi, Chriſto Deo totius orbis iudici, veluti peculium quoddam & fœliciſſimus populus erunt: vnde & ipſis parcet, quemadmodum quis parcit filio ſuo ſibi ſeruiẽti, atque vnicè charo. Hac enim eleganti atque mirificè conuenienti ſimilitudine vates noſter vtitur, qua, luce clariùs oſtendat Deum erga fideles ſuos indulgentia verè paterna in iudicio poſtremo vti debere, qua etiã omnibus, qui ſeruabuntur opus eſt. Tunc enim
Pſal.102. noſtri miſerebitur, quemadmodum pater filiorum miſereri ſolet, quippe qui ſi omnibus ſuis filiis indulgeat, multò tamen, maior in-

ior indulgentiæ cumulus erga filium ſuum opera & induſtria ſibi ſeruientem accedit. Hinc eſt quod Chriſtiani, cùm viderint bella & ſeditiones, atq; innumera ſigna & prodigia iudicium extremum præcedentia, caput attollere iubentur, ac ſi ſalus & redemptio ipſorũ proxima foret. Tunc reuertemur omnes, vt credimus, & ſperamus in mortuorum reſurrectionem, vbi experientia ipſa docebit, quantùm interſit inter iuſtum & impium, inter cultorem Dei & inter non colentem ipſum. Impij etiam ſententiam mutare cogentur, qui vt inſenſati erant, piorum vitam duram & auſteram, æſtimarunt inſaniam, & honore perpetuo fore priuãdam. Non igitur impiorum blaſphemiis nos imprudẽter ſeduci patiamur, ſed veriſſimo Dei verbo inhæreamus, cui laus, honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Mat. 24. Luc. 21.

Sap. 5.

HOMILIA XX.

Ecce enim dies veniet ſuccenſa quaſi caminus, & omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem ſtipula: Et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum: quæ non derelinquet eis

radicem & germen: & orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius. Et egrediemini, & ſalietis ſicut vituli de armento: & calcabitis impios, cùm fuerint cinis ſub planta pedum veſtrorum in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.

NISI certus ac ratus dies nobis ex Scripturis cõſtitueretur, quo pietatis & fidei cultores à Deo opt. max. dignis præmiis compenſarētur, impii verò ac infideles, ſuorum ipſorum ſcelerũ pœnás certiſsimas & æquiſsimas luerent, pietatis ac religionis ſtudiũ inter homines non modò langueſceret, ſed funditùs labefactaretur, euerteretur, ac periret. Vates igitur noſter concludens ac perorans, huiuſce diei meminit, quē appetere, iam iamq; præ foribus eſſe ita denunciat. *Ecce dies illa venit, &c.* Deſinite cæca fortunæ impiorũ æmulatione abrepti, amplius conqueri de Deo iudicij, atq; ſecum expoſtulare, quaſi ipſe prorſus dormitaret, nimiúmque ceſſare veſtra ſententia, in iudiciis exequendis videretur. Iam nunc dies inſtat, ardens in morem clibani, quo ſcelerati atque impij omnes erunt quaſi ſtipulæ, ac fœnũ exaridum. Hunc diem venturũ ſemper negarũt

improbi,quē ſuo magno damno aliquādo ſentient. Quāuis autē iſtud vaticiniū extēdi poſsit, vſq; ad diē illum extremū, quo omnes ſiſti oporteat ante tribunal Chriſti, vt rationē reddant, prout bonum vel malū in ſuo corpore geſſerint, de illo tamen tēpore maximè intelligi debet, quo Meſsiā & Euāgelium ipſius Dominus Deus vindicaturus eſt, aduerſus illos ſuperbos, qui illū recipere noluerūt. Hic locus præcipuè nobis deſeruit, vt Dei iuſtitiam & prouidētiam intelligamus, quibus ſublatis, ne Deū quidē eſſe agnoſceremus. Quòd ſi in ſceleratos non tā citò animaduertit vt vellemus, patienter & æquo animo feramus, expectantes ſaltē diem illū, quo illę ſteriles & infructuoſæ arbores, ignibus perpetuis deuoueātur. Interim illud notatu dignū cenſui, nimirū tēpus omne quod Euangeliū prçceſſerit, in ſacris Scripturis noctis nomine deſignari: ſequēs verò diei, tū ob lucē Chriſtū, qui illuminat omnē hominē veniētem in hunc mundū, tum ob res obſcuras in veteri lege, quæ per Euangeliū vbiq; terrarū reuelatæ fuerunt. Diē illā (quę multorū cordiū cogitationes reuelatura erat) inſtar ignis in furno ardentis venturā denūciat noſter Vates. *Ioan.1.* *Luc.2.*

Quis enim poſſet vim ignis indomitam, furorem, & impetum effugere, maximè ſi in clibanum ardentẽ coniiceretur? Ad hæc ſuperbi incendio corripiendi ac perdendi, ſtipulæ ſimiles in illa die futuri ſunt, quæ igni admotæ, tantùm abeſt, vt illius ardorẽ leniant ac mitigent, vt magis ac magis accendant. Cùm autem ſuperbia ſit radix, & initium peccati, hîc arrogantes, & ſuperbi præcipuè nominantur, quos ſanè dies iudicij ſic abſumet, vt eis nec ramus, qui facilius ab igne corripitur & deuoratur, nec radix, quæ difficilius ac tardius conſumitur, ſint omnino remanſura. Vel ſi paraphraſis Chaldæa magis cordi ſit, *neque ei filium, neque nepotem relinquat*. Id eſt, radicitus, atque prorſus peribunt illi ipſi, cum filiis & nepotibus ſuis. Triginta enim & octo annis à morte Chriſti, ſcelerati & impij Iudæi, qui
Mat. 27. coram prophano iudice Pilato clamauerant,
Luc. 23. Sanguis ipſius ſuper nos, & ſuper filios noſtros, diem illum fatalem, horribilem, ac pertimeſcendum ſenſerunt, quando ciuitas illa Hieroſolymitana religione, literis & armis olim maxima & florentiſſima, à Romanis capta, atq; ferro & igne vaſtata, ſolo æquata eſt. Solet enim Deus ſic huius ſe-

culi faſtum, ſuperbiam, & inſolentiam deprimere, vt de Niniua, Babylone, Carthagine, Roma, & cæteris ob diuitias & imperium tumentibus ciuitatibus & regnis videre eſt. Quòd ſi nõ omnium ſuperbia, faſtidium atque arrogãtia in hoc ſeculo ſemper deiiciatur, veniet tamen illa iudicij poſtremi dies, in qua omnes ſuis armis nudati, palpitantes rationem coram æquo iudice Chriſto ſunt reddituri. Quæ etſi ſceleratis quidem & nefariis ſit perhorreſcenda, timentibus verò, ac reuerentibus nomen Domini iucũdiſſima eſt futura. Nam orietur tunc temporis, iis qui non ſupplicij & pœnæ formidine, ſed liberali & ingenua virtute atque filiali amore nomen Dei obſeruant ac reuerentur, iuſtitiæ ſol, qui ſplẽdore & iubare ſuo cũcta perluſtrat. Potuiſſent enim pij viri, quorum conſciẽtia ſemper pauida eſt, huius diei minis & terroribus concuti & exanimari, propterea verbis iſtis iucundiſſimis illos conſolatur, ne deſperatione debilitentur, & deſpondeant animos. Ipſe iuſtitiæ Sol, carnem noſtrã indutus, in hunc modum ſe geſſit, vt poſtquã ſigna & prodigia horroris pleniſſima nunciaſſet, quæ iudicio poſtremo imminente

Luc. 21. futura eſſent, pios admonet, vt ſua capita ſubleuēt, perinde ac ſi ipſorum redemptio proxima eſſet. Sic enim Deus ſuos conſolari ſolet: Nolite ergo huius diei horrore nimium affici, vos inquã, qui nominis Dei omnipotētis, iuſti, veracis, boni & miſericordis reuerentia & obſeruantia tenemini. Nã ſol, iuſtitiam ſecũ afferens, non ſolùm ſibi, verumetiã ſuis, qua quidē iuſti non ſolùm imputatione, ſed reipſa efficimur & reddimur, mirificè ortus eſt, atq; nobis apparuit. Hoc enim fuit gaudiũ illud magnũ, quod
Luc. 2. in illa natiuitatis nocte paſtoribus ab Angelis nunciatũ fuit. Hinc, inquam, Chriſto iuſtitiæ ſoli alas Vates noſter effingit, ob maximã illam incredibilē celeritatē, qua ſuis radiis vniuerſum orbē quàm citiſſimè luſtrauit. Vnde Apoſtolus aſſerere non vere-
Pſal. 18. tur, ſuis etiam tēporibus iam iamq; Euan-
Rom. 10. gelium per omnem terram, i. in præcipuas orbis partes, ſonuiſſe, ac quã latiſſimè propagatum fuiſſe. Nimirum quando ille ipſe ſol iuſtitiæ, exultauit vt Gigas ad currendã viam ſuam, nec fuit qui ſe abſcōderet à calore eius, quo quidem fouit, vegetauit, & recreando ſanauit eos, qui in ſumma tenebrarum caligine, atq; in vmbra mortis ſedebant: nec abs re, cùm in aliis ſuis ſanandi

vis& energia extiterit, vt in illo naturali ſo-
le, qui mundo exoriens miſeris, mortalibus
ægris (vt annotarunt Medici) recreationem
& dolorum leuationem affert. Nōne orto
illo iuſtitiæ Sole, quacunque laborabamus
infirmitate tum corporis, tum animi ſanati
ſumus? Nónne alis iſtis (quibus ſanctiſſimã
& auguſtiſſimam Domini Chriſti humani-
tatem, quæ à diuinitate nullo modo dirimi
diſtrahíque poteſt, ſicut nec alæ à volucri,
conferimus & aſſimilamus) corpora noſtra
è ſepulchris excitata in reſurrectione leua-
buntur, quò in cœlis cum Chriſto regnent? *Ioan. 6.*
Quapropter Dominus Chriſtus eos ſuſci-
taturum pollicetur, qui illam ſuam ſanctiſ-
ſimam carnem ſunt manducaturi. Hæc li-
beratio quam cęteræ pręſignificarunt, læta
erit atq; omnibus partibus abſoluta: quo-
niam tunc erimus vt vituli altiles, beneq́;
ſaginati, obæſo corpore, ac bene curata cu-
te, qui præ nimia membrorum valetudine,
iuuenili laſciuia & alacritate vinculis abſo-
luti, magis quàm cætera animãtia exultare
ſolẽt. Omnibus enim vinculis & carceribus
liberati, magna hilaritate, ad ęterna paſcua
læti ſaliemus, ibiq́; victores triũphos age-
mus. Iſta interim Vatis prophetia Iudæorũ

tẽtationi maximè mederi videtur, qui vinctis, & carceribus traditis erant propè ſimiles, quandoquidem à vicinis Gentibus vndequaque bellis peterentur, atque inuidia & odio pluſquàm Vatiniano premerentur: ita vt Antiochus illuſtris peccati radix, vrbem ſanctam, & templum flammis cõſumpſerit, vt ſic vniuerſum Dei cultum funditùs euerteret. Quòd ſi Macchabæi ab huiuſmodi hoſtium inſultibus eos liberauerint, non fuit tamẽ planè perfecta & abſoluta iſta reſtitutio. Opus enim fuit Chriſto filio & hærede, qui nos omnes à corpore mortis huius perfectè liberaret, vt ſic liberati teramus impios, perinde ac ſi eſſent cinis ſub plantis pedum noſtrorum. Ingens certè & incredibilis rerum viciſsitudo fiet: nam qui opibus, dignitate, & imperio potentes, alios non plus vili luto facientes, vi ac tyrannide opprimere & conculcare ſolebant, viciſsim ſub plantis pedum ſanctorum ac piorum Euãgelij virtute, iuſtitia, ac maieſtate proterendi ac conculcandi ſunt. Hęc partim iam impleta ſunt, quando Cõſtantinus Imperator ſanctiſsimus, Diocletianum, Maximianum, Maxentium, & Licinium: Theodoſius verò Eugenium & Ar-

bogaſtum imperij æmulos, atque idololatriæ inſtauratores debellarunt. His quoque addi poſſent triumphi quos Carolus Magnus de infidelibus, paganis & Sarracenis mirificè ac gloriosè egit: atque illi quos Gallorum chriſtianiſſimi reges in dies aduerſus nefarios, ac prophanos Hæreticos deportant. Hęc autē ſi non perpetuò fiant, intelligenda erunt de ſpiritali victoria, qua Apoſtoli, Martyres, cæteriq; fideles (quibus *Luc. 10.* *Marc. 6.*
Dominus dedit poteſtatem calcandi ſer- *Matth. 10.*
pentes, os & ſapientiam, cui aduerſarij reſiſtere non poterunt) mundum, & quicquid in eo ſumma in admiratione habetur, Euāgelij vigore freti, ſuperarunt. Illud tamen notatione dignū exiſtimaui, quòd quāuis inſolentes, arrogantes, ac ſuperbi, vt reiectitij, & nihili homines à piis habendi ſint, vbi opportunum iudicio in eos exercendo tempus aduenerit: non vult tamen Dominus ſuis vindictam imperare, quam ſibi ſoli in tempus certum ac conſtitutum reſeruauit. Quodquidem cùm Dauid ſatis perſpexiſſet, de Saüle æmulo, atq; inimico ſuo noluit pœnas vindictamq; ſumere, etiamſi potuiſſet eum obterere, atq; pedibus conculcare. Dies igitur expectanda, qua Deus

omnes iudicaturus eſt. Quoniam quidem abſque omni dilatione vellemus & optamus promiſſis frui, atque etiam ipſa promiſſa, ſi noſtrarum virium eſſet, præuenire, opus eſt fide, conſtantia, & tolerãtia in expectando die illo: cuius Deus optimus, max. non inani, ſuperuacanea, & inutili repetitione in huius loci concluſione meminit. Voluit enim hominum diffidẽtiæ mederi, quos in ſumma patientia decet corda ſua firmare ac roborare expectãdo Dominum, vt calcata mundi ſuperbia, inſolẽtia, faſtidioq;, lęti ipſo fruamur, cui laus, honor & gloria, in ſecula ſeculorum. Amen.

HOMILIA XXI.

Memento te legis Moſi ſerui mei, quam mandaui ei in Horeb ad omnem Iſrael præcepta & iudicia: ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequàm veniat dies Domini magnus & horribilis: & cõuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.

CIuitates amplæ, magnæ, atque potẽtes ſine muris, vallis & foſſis potius ſeruarẽtur integrè, ac incolumes, quàm ſine legibus, iudiciis, iure, atque

ſtatutis. Deus igitur Iſraëlitis conſulens, vt inter eos Rempub. optimam conſtitueret, leges ſacroſanctas, iudicia, iura, & ſtatuta religioſè ſanxiuit, quæ quidem Malachias in ſua peroratione breui ac dilucida maximè commendat, cùm perſpectum haberet poſthac perpaucos, ac fortaſſe nullos Prophetas fore, quoad Ioannes Baptiſta veniret, viam Chriſto Domino perfectam præparaturus. Legis ergo meæ, inquiebat, ſtatutorum, iudiciorumq́; meorum memoriã nulla vnquam deleat obliuio. Nam horum frequens & aſſidua meditatio ſatis ſuperq́; vobis erit, vſquequo ſacroſanctũ illud Euãgelium vniuerſo orbi reueletur, ad quod quidem ipſa Lex reſpiciens, velut pædagogus extitit. Hoc in primis animaduerſione dignum occurrit, quod Malachias Prophetarum vltimus, vel (vt Tertulliani verbis vtar) limes inter vetus & nouum Teſtamentum, legis memoriam, in ſuo epilogo iã diligenter commendatam voluerit, vt pote ſciens Chriſtum in ea planè depictum atque expreſſum eſſe. Vnde dicebat ipſe, Si crederetis Moſi, vtique mihi crederetis. Si enim diligenter Iudæi ſcrutati fuiſſent Scripturas, atque in iis ipſis ſedulò

Tertullia.

verſati, nullo pacto vitæ authorem ſic reieciſſent, ſed ambabus vlnis (vt eſt in prouerbio) illum amplexi fuiſſent. Ad hæc, vates noſter hunc populum in multiplices & varias ſectas miſerè ſcindendū (quia prophetis & fidelibus paſtoribus deſtituendus foret) præuidebat, & ideo legis tenaces eſſe volebat, vt aduerſus tot & tantos tumultus de Meſſia atque religione excitandos, fortes & intrepidi in ſtatione ſua permanerent. Diſcant modo, quid facto opus ſit, in iſta miſerrima tempeſtate, tam variarū hæreſeon feraciſſima fideles ac catholici. In lege domini meditētur die ac nocte, quam non patientur corruptis, perditis, adulterinis & falſis hæreticorum commentis adulterari & corrumpi: imò verò Eccleſiam catholicam in primis ſequamur, quæ vna ſola verum & genuinum ſacræ ſcripturæ ſenſum habet: quare ſiue in lege veteri, quæ ſecundum ſenſum ſpiritualem & internum intelligenda venit, ſiue in aliis ſacræ ſcripturę libris, hanc regulam longè antea maximè commendatam, cùm à Tertulliano tū à Vincētio Lyrinēſi, ſequuti, omnes illas argutas & ſinuoſas hęreticorum ratiocinationes, tuti, ſani & incolumes facile vitabi-

In præſcr. Lib. aduerſus propb. nouas.

mus. Ea de re Paulus Ephe. 4. nos ſecuros reddit, docẽs non ceſſare Chriſtum dominum, ex quo ipſe cœlos aſcẽdit, quin Apoſtolos, Euangeliſtas, Prophetas, Doctores & Paſtores mittat, qui nos de ſaniori doctrina commonefacerent, ne tãquam paruuli quolibet vento doctrinæ acti, in dies religionem mutaremus. Legis enim ab huiuſmodi paſtoribus, doctoribus ſecundum ſenſum catholicum & orthodoxum intellectæ interpretatæq́;, nos perpetuò memores eſſe oportet. At vero ne oſcitantes halucinaremur, ac nimium laboraremus in iſta lege cognoſcenda, certis quibuſdam ſignis ac indiciis deſcribitur, notatur ac ſignificatur: quibus illam ab omnibus aliis ſanctionibus, legibus, plebiſcitiſque diſtinguere ac diſcernere certò poſſimus. Illa eſt, nõ Solonis, non Lycurgi, nõ Romuli, non Minoïs, Radamanthi, Draconiſue, ſed Moſis illius famuli Dei, quippe qui fidelis vtique inuentus eſt in domo Domini Dei ſui. Illa ipſa eſt inquã, quę ſolẽni põpa, clangẽtibus buccinis, cælo micante, atque fulgurante, dum vniuerſus ſpectaret populus in *monte Horeb*, quæ & Synay dicitur, toti Iſraëli magis ac magis commendata fuit. Si in votis *Exod. 19.*

autem eſt ſcire, quidnam contineat & cōplectatur, *præcepta*, reſpōdet vates, quorum nomine vniuerſa morum componēdorum ratio comprehenditur, *atque iudicia* aut iura, quæ vel à priuatis religiosè inter ſe coli, vel à iudicibus & magiſtratibus dici ac defendi ſolent. Vniuerſa illa ſigna & argumenta efficiunt, vt à placitis hominum legem ſecernamus. Quæ etiamſi titulis inſignibus & pulchris ſit cohoneſtata & celebrata, Chriſti tamen lex, ſiue miniſtrum, ſiue legis virtutem & efficientiam reſpicias, longè perfectior eſt, ſed quibus data fuerit lex illa, paucis audiamus. Vniuerſo enim Iſraëli mandata atque iniuncta fuit. Legibus Dei viuentis, omnes cuiuſcunque loci & ordinis obſtringūtur, & ideo ad omnem Iſraël mādatur. Huc reſpicit id quod Hieremiæ dicebat Deus: Ecce ego facio te hodie in ciuitatem munitam, columnam ferream, & murum æneum contra omnē terram, contra Reges Iuda, contra principes eius, contra Sacerdotes, & contra vniuerſum populum terræ. Valeant iſti peruerſi aſſentatores, qui tyrannorum libidinem, & regum lenitatem voluptate blādè titillantes, illos non ſolùm exleges faciunt, perinde

Ierem.1.

acſi, vt reliquum vulgus, Chriſti legibus nō obſtringerentur. Sciamus leges ad totum Iſraël latas atque mandatas fuiſſe, i. ad omnes qui Eccleſię filij cenſeri volunt. Verba igitur Vatis ad nos etiam pertinent, ac diriguntur. Quamuis enim cæremoniæ legis, quæ figuræ, atque vmbræ futurorum dicuntur, per Chriſtum veritatem, & corpus ſublatæ &, abrogatæ fuerint, præcipua tamen illa capita, in quibus fidei & cultus totius ratio, tota denique vitæ noſtræ cōſtitutio poſita eſt, firma & perpetua manſerunt: qualia ſunt ea quæ in Decalogo continentur, & ab ipſo Moſe in libris ſuis fuſiùs explicantur. Quòd ſi illa ipſa ad amuſim obſeruauiſſemus, inter tam varias de vera pietate & religione diſceptationes & controuerſias, iiſque Orationem dominicam, vnà cum Apoſtolorū ſymbolo, ſimplicitatem chriſtianam ſequuti, coniunxiſſemus, non tandiu rudes, ſimplices, & literarum prorſus ignari, rerū incerti fluctuaſſent, neq; etiam Deo, regibus, & magiſtratibus, bellum longè atrociſſimum indixiſſent. Memores ergo legis ſimus, in qua ſi Iudæi ſatis verſati fuiſſent, & Prophetarū vaticinia ſanè & probè excuſſiſſent, religiosè Hebr. 10.

& piè Chriſtum veniẽtem recepiſſent. Nihil enim illis proderit, quòd Elias Thesbites nõ venerit. Nam teſtes fide digniſſimos habemus, qui hunc Vatis noſtri locum ſyncerè interpretati, Ioannem Baptiſtam ſub Eliæ nomine intellexerunt. Prodeat imprimis Angelus in mediũ, natiuitatem ipſius
Luca 1. Baptiſtæ, patri Zachariæ nunciãs: Ipſe, inquit, pręcedet ante Dominum in ſpiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, &c. Secũdo loco veniat Chriſtus, qui
Mat. 11. dẽ eodem Ioanne loquens, ait: Et ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias ille, qui ṽeturus erat: Et rurſum diſcipulis de Eliæ aduentu ſciſcitantibus, reſpondit: Elias quidem veniet prius, & reſtituet omnia. Sed dico vobis, Eliam iam veniſſe, & non agnouerunt eũ, ſed perpetrarunt in eo quæcunque voluerunt. Intellexerunt autem diſcipuli, inquit Euangeliſta, quòd de Ioanne Baptiſta dixiſſet ipſis. Præterea neque inſueta, neque inſolita res eſt, vt vnius nomen alteri imponatur, ob vitæ morumq́ analogiam atque ſimilitudinem. Cùm igitur Eliæ Thesbitis, & Ioannis Baptiſtę tanta fuerit, non ſolùm morum ac vitę, ſed etiam officij ſimilitudo
Ioan. 1. & conuenientia, vt Iudæorum doctiſſimi vnum

vnum vice alterius ſumerent, non abs re Vates noſter Baptiſtam Eliam vocat. Ambo in ratione victus & veſtitus parciſſimi & frugaliſſimi fuerũt: Ille pane duntaxat à coruis miniſtrato, & aqua ſola ex fonte lympidiſſimo hauſta, famem in deſertis depulſauit, & ſitim extinxit. Alter verò à teneris annis in deſerto agere cœpit, qui melle & locuſtis veſci aſſuetus, nec vinum, nec quicquam aliud quod homines ebrios ac temulentos reddere poſſit, vnquam attigit. Ille, dum ſuum ſeculum eſſet corruptiſſimum ac perditiſſimum, religionis neglectæ, violatæ & proditæ deffenſorem & protectorem inuictiſſimum (aliis ferè omnibus timidè tacentibus, & ignauè diſsimulantibus) conſtanter & liberè aduerſus ipſos etiam reges ſeſe exhibuit. Alter verò ſua turbulentiſsima tempeſtate, quando ſectis, bellis inteſtinis, & proditionibus arderent omnia, aduerſus falſos, nefarios & laruatos paſtores diſsidiorum & tumultuũ præcipuos authores, murum æneum ſeſe præſtitit, atque regis Herodis impudicas & inceſtuoſas nuptias publicè perpetuóque damnans & improbans coarguit. Hinc vtrumque tanta ac tali dicendi li-

bertate prædıtum mulieres Iezabel & Herodias maximo proſequutæ fuerunt odio.
Quid vetat ergo vnũ ipſorum alterius nomen ſubire? nec obeſt, quod Iudæorum
Ioan.1. legatis ſciſcitantibus à Ioanne, ſi ipſe Elias eſſet, aut quiſpiam ex Prophetis, reſponderit, ſe Eliam eſſe, quandoquidem ipſi Iudæi ſomniaſſent neſcio quam παλιγγενεσίαν atq; μετεμψύχωσιν Pythagoricam, & animarum in alia corpora tranſmigrationem, ſic vt de Elia Thesbite interrogarent. Quòd ſi literã adeò mordicus ipſi retineãt, ſciant Eliã etiam Thesbitem Chriſto Domino in glorioſiſsima ipſius transfiguratione, vnà cum Moſe in monte Thabor teſtimonium perhibuiſſe, quando illa vox paterna de cœlis
Math.17. audita eſt: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite. Nobis Dei mos venit obſeruãdus, qui homines quos omnes ſaluos eſſe vellet, antequàm in eos ipſos exequatur iudicia, ne videatur per illum ſtare, quominus ad meliorem frugem redeant, & ſic iram & vindictã effugiant, promouere ſolet. Quemadmodũ
Gene.6. Noëmi temporibus factitatum, & etiã poſtremis temporibus faciundum legimus.
Apoc.11. Nam Apocal.11. legimus Ioanni præſigni-

ficatum fuiſſe ab Angelo duos teſtes futuros, antequàm dies Domini magnus & terribilis veniet, qui diebus mille ducẽtis ſexaginta ſaccis amicti prophetabunt. Hi ſunt duæ illæ oleæ, & duo candelabra in cõſpectu Domini terræ poſita, qui à beſtia ex abyſſo aſcendente propter fidei teſtimoniũ ſunt occidendi. His duobus ſacræ Scripturæ locis fulti veteris Eccleſiæ patres, permoti ſunt, vt crederẽt Eliam cum Enocho venturum eſſe, antequàm Chriſtus in iudicium veniat. Hypolitus martyr in libro de Antichriſto, Auguſtin. de Ciuit. Dei, lib. 20. cap. 29. & tom. 9. in Apocal. homi. 10. atque Cyrillus lib. 1. cap. 24. in Ioan. ſunt huiuſce ſententiæ ac opinionis, quæ & ſi à Rabbinorum expoſitione non multùm diſcrepet, veritati tamen Catholicæ minimè officit, dummodo ſigna & prodigia, quæ tum à Chriſto, tum ab Apoſtolis nuntiata ſunt, torpẽtes nõ neglexerimus, & ardentiſſimę fidei prædicatores, quos Dominus Deus ſub his temporibus præſtiturus eſt, non cõtempſerimus. Sed quid dicturus ſit nouus Elias noſter paucis audiamus. *Conuertet corda patrum cum filiis, & corda filiorum cum patribus ſuis*, i. patrum animos ad filios, & filiorũ

ad patres ſuos reducet, vt vnum idemque ſentiant. Veterum patrum, & filiorum, qui ipſis multò recentiores fuerunt, in religionis ratione conſenſum Baptiſta in Spiritu, & virtute nouus Elias, omnem hominum ætatem, gradum atque ordinẽ grauiſſimè conſtantiſſiméque docuit. At verò quis iſtorum nouorum, ne dicã ſpiritu Eliæ, ſed potius vertiginis, afflatorũ temeritatem ac audaciam incredibilem ferret, qui neſcio quo reformationis prætextu varietatem, diſſentionem ac diſſidium à vera & veteri religione impudenter docent? Hiccine eſt ille nouus nouorum Eliarum ſpiritus, ſacrã Eccleſiæ vnionem turbare, ac miſeram diſſipationem inducere? Sed deſinamus obſecro illud mirari in hæreticis, quorum mos adeò inueteratus eſt, vt iam prorſus in eo ipſi occalluerint, ſemper veteris Eccleſię pãtres inſcitię, ſuperſtitionis & idololatrię inſimulãdo. Taceo Manichęos illos ſua ſimulata abſtinẽtia toto terrarũ orbe celebres, qui legis, Prophetarum, ſimul & omnium veteris Inſtrumenti Patrum facta illuſtria, & glorioſa non minus ſtolidè quàm infideliter condemnatunt. Sed in medium afferam Valentinianos, Marcioniſtas, Monta-

niſtas, & id genus peſtes & monſtra, quippe qui non ſolùm Apoſtolicos viros (qui cum Apoſtolis familiariter verſati fuerant, & ab ipſis viuæ vocis oraculo catholicam & orthodoxam doctrinã hauſerant) ſed & ipſos Apoſtolos ſtoliditatis & ignorantiæ accuſarunt, & ſcriptis eorum ſua ſomnia prætulerunt. Ab his enim antiquis hæreſiarchis huiuſce tempeſtatis infœliciſſimæ, omniũ hæreſeon inſtauratores, ne latum quidem vnguem diſcedũt. Nam communẽ omniũ veterum Patrum conſenſum atque cõcentum, tum in Scripturis interpretandis, tum in iis quæ ad diſciplinam, & politiã Eccleſiaſticam ſpectãt, peius cane & angue odio proſequuntur. Siccine, boni viri, cenſetis Eliam imitari? ipſe profectò tã patres quàm filios fidei vnitatem docuit, vt vnum & idẽ cùm Abrahamo, qui vidit diem Chriſti, & gauiſus eſt, ſentirent. At verò Manichæos, Valentinianos, & Mõtaniſtas hæretici noſtrates ſequuti, non ſolùm aliquorũ Apoſtolorum, vel Apoſtolicorum virorum ſcripta condemnant, ſed etiam totã ſimul Eccleſiam cum omnibus Patribus (quos deliros, ſuperſtitioſos & idololatras in ſuis cõuenticulis vocitare ad rauim vſq; non ceſ-

ſant) impiè ac ſcelerate criminantur. Ne ergo aliquis miretur terram ſimul omnem ad internecionem percuti, ac prorſus excindi, quandoquidem Chriſti tunicam ſic diuerſis & peregrinis doctrinis à ſacra ſcriptura & patrum conſenſu tam alienis, miſerè proſcindi videmus. Ipſius igitur Eccleſiæ à ſuis tam grauiter ac vehementer afflictæ, caput Chriſtum deprecemur ſuppliciter & demiſſè, vt nos ad vnionem illam veterem iam tandem reducere dignetur, cui laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

FINIS.

Errata ſic corrigito, prior numerus folium libri, ſecundus paginam, tertius paginæ lineam ſignificat.

Folio i.pagin.2 lin.penultima.Quo loco. fo.2. pag.2.lin.20.à. fol.3.pa.1.li.7.interfectum. fol. 5.pag.2.lin.1, צְדָקָה & lin. 13. verò. fol.8.pag.1. lin.12.planè. fol. 11. pag. 1. lin. 8. dele fruſtrà.& lin. 15. progreſſus. fol. 17. pagin.1. lin. 1. neque. fol.20.pag.2.lin.1.iſti. fol.22.pag.2.li.10.ſcatet. fol.30.pag.1.lin.1. מִנְחָה. fol.35.pa.2.li.14.hilarem f.37.p.2.li.19.imperium in ſecula. fol.41. pa.2.li.1.efficient. fo.44.pa.2.li.19.aliis. fo.46 pag.1.lin.15.myſticus. fol.47.pag.2.lin.3. Quæ. Eadem pag.lin.17.numinis. fol.55.pag.2.lin.21. etiamſi. fol.6.pag.1.li.9.agitedum. fo.63.pa.1. lin.24.miniſterij. fol.75.pa.2.lin.3.altercationi. fol.76.pa.1.li.22.venabantur. fol.77.pag.2.lin. 5.adde,eſt.& lin.24. רֶגַע. fol.78. pag.2. lin.22. Lex. fol.79. pagin. 2. lin. 1. Perſarum. fol.80. pag.1.lin.9.proprius. fol. 86. pagin.1. lin.1.ſenſerint. fol. 89. pagin.1. lin.8. animum. fol.90. pag.1.lin.8.vindicaturus. fol.91.pag.2.lin.vlt.in alis. fol.92.pag.2.lin.16.ingens. fol.93. pag. 2. lin.2.optaremus. fol.96pa.1.lin.8. dicuntur. & lin. vlt. excuſſiſſent.

AMOS

PROPHETA,

VIGINTI ET NOVEM Homilijs explicatus, opera & ſtudio F. MATHVRINI QVADRATI, Pariſienſis Theologi, Franciſcani Ebroici.

…us eſt index copioſiſſimus rerum & verborum.



PARISIIS,
Apud MICHAELEM SONNIVM, via Iacobæa ſub Scuto Baſilienſi.
M. D. LXXXVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

verſati, nullo pacto vitæ authorem ſic reieciſſent, ſed ambabus vlnis (vt eſt in prouerbio) illum amplexi fuiſſent. Ad hæc, vates noſter hunc populum in multiplices & varias ſectas miſerè ſcindendũ (quia prophetis & fidelibus paſtoribus deſtituendus foret) præuidebat, & ideo legis tenaces eſſe volebat, vt aduerſus tot & tantos tumultus de Meſſia atque religione excitandos, fortes & intrepidi in ſtatione ſua permanerent. Diſcant modo, quid facto opus ſit, in iſta miſerrima tempeſtate, tam variarũ hæreſeon feraciſſima fideles ac catholici. In lege domini meditẽtur die ac nocte, quam non patientur corruptis, perditis, adulterinis & falſis hæreticorum commentis adulterari & corrumpi: imò verò Eccleſiam catholicam in primis ſequamur, quæ vna ſola verum & genuinum ſacræ ſcripturæ ſenſum habet: quare ſiue in lege veteri, quæ ſecundum ſenſum ſpiritualem & internum intelligenda venit, ſiue in aliis ſacræ ſcripturę libris, hanc regulam longè antea maximè commendatam, cùm à Tertulliano tũ à Vincẽtio Lyrinẽſi, ſequuti, omnes illas argutas & ſinuoſas hęreticorum ratiocinationes, tuti, ſani & incolumes facile vitabi-

In præſcr. Lib. aduerſus proph. nouas.

mus. Ea de re Paulus Ephe. 4. nos ſecuros reddit, docẽs non ceſſare Chriſtum dominum,ex quo ipſe cœlos aſcẽdit, quin Apoſtolos, Euangeliſtas, Prophetas, Doctores & Paſtores mittat, qui nos de ſaniori doctrina commonefacerent, ne tãquam paruuli quolibet vento doctrinæ acti, in dies religionem mutaremus. Legis enim ab huiuſmodi paſtoribus, doctoribus ſecundum ſenſum catholicum & orthodoxum intellectæ interpretatæq́;,nos perpetuò memores eſſe oportet. At vero ne oſcitantes halucinaremur, ac nimium laboraremus in iſta lege cognoſcenda, certis quibuſdam ſignis ac indiciis deſcribitur, notatur ac ſignificatur: quibus illam ab omnibus aliis ſanctionibus,legibus,plebiſcitíſque diſtinguere ac diſcernere certò poſſimus. Illa eſt,nõ Solonis,non Lycurgi,nõ Romuli,non Minoïs, Radamanthi, Draconíſue, ſed Moſis illius famuli Dei, quippe qui fidelis vtique inuentus eſt in domo Domini Dei ſui. Illa ipſa eſt inquã,quę ſolẽni põpa,clangẽtibus buccinis,cælo micante, atque fulgurante, dum vniuerſus ſpectaret populus in *monte* *Exod.19.* *Horeb*,quæ & Synay dicitur,toti Iſraëli magis ac magis commendata fuit. Si in votis

autem eſt ſcire, quidnam contineat & cõplectatur, *præcepta*, reſpõdet vates, quorum nomine vniuerſa morum componẽdorum ratio comprehenditur, *atque iudicia* aut iura, quæ vel à priuatis religiosè inter ſe coli, vel à iudicibus & magiſtratibus dici ac defendi ſolent. Vniuerſa illa ſigna & argumenta efficiunt, vt à placitis hominum legem ſecernamus. Quæ etiamſi titulis inſignibus & pulchris ſit cohoneſtata & celebrata, Chriſti tamen lex, ſiue miniſtrum, ſiue legis virtutem & efficientiam reſpicias, longè perfectior eſt, ſed quibus data fuerit lex illa, paucis audiamus. Vniuerſo enim Iſraëli mandata atque iniuncta fuit. Legibus Dei viuentis, omnes cuiuſcunque loci & ordinis obſtringũtur, & ideo ad omnem Iſraël mãdatur. Huc reſpicit id quod Hieremiæ dicebat Deus: Ecce ego facio te hodie in ciuitatem munitam, columnam ferream, & murum æneum contra omnẽ terram, contra Reges Iuda, contra principes eius, contra Sacerdotes, & contra vniuerſum populum terræ. Valeant iſti peruerſi aſſentatores, qui tyrannorum libidinem, & regum lenitatem voluptate blãdè titillantes, illos non ſolùm exleges faciunt, perinde

Ierem.1.

acſi, vt reliquum vulgus, Chriſti legibus nō obſtringerentur. Sciamus leges ad totum Iſraël latas atque mandatas fuiſſe, i. ad omnes qui Eccleſię filij cenſeri volunt. Verba igitur Vatis ad nos etiam pertinent, ac diriguntur. Quamuis enim cæremoniæ legis, quæ figuræ, atque vmbræ futurorum dicuntur, per Chriſtum veritatem, & corpus ſublatæ &, abrogatæ fuerint, præcipua tamen illa capita, in quibus fidei & cultus totius ratio, tota denique vitæ noſtræ cōſtitutio poſita eſt, firma & perpetua manſerunt: qualia ſunt ea quæ in Decalogo continentur, & ab ipſo Moſe in libris ſuis fuſiùs explicantur. Quòd ſi illa ipſa ad amuſim obſeruauiſſemus, inter tam varias de vera pietate & religione diſceptationes & controuerſias, iiſque Orationem dominicam, vnà cum Apoſtolorū ſymbolo, ſimplicitatem chriſtianam ſequuti, coniunxiſſemus, non tandiu rudes, ſimplices, & literarum prorſus ignari, rerū incerti fluctuaſſent, neq; etiam Deo, regibus, & magiſtratibus, bellum longè atrociſſimum indixiſſent. Memores ergo legis ſimus, in qua ſi Iudæi ſatis verſati fuiſſent, & Prophetarū vaticinia ſanè & probè excuſſiſſent, religiosè

Hebr. 10.

& piè Chriſtum veniētem recepiſſent. Nihil enim illis proderit, quòd Elias Thesbites nō venerit. Nam teſtes fide digniſſimos habemus, qui hunc Vatis noſtri locum ſyncerè interpretati, Ioannem Baptiſtam ſub Eliæ nomine intellexerunt. Prodeat imprimis Angelus in mediū, natiuitatem ipſius

Luca 1. Baptiſtæ, patri Zachariæ nunciās: Ipſe, inquit, pręcedet ante Dominum in ſpiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, &c. Secūdo loco veniat Chriſtus, qui

Mat. 11. de eodem Ioanne loquens, ait: Et ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias ille, qui vēturus erat: Et rurſum diſcipulis de Eliæ aduentu ſciſcitantibus, reſpondit: Elias quidem veniet prius, & reſtituet omnia. Sed dico vobis, Eliam iam veniſſe, & non agnouerunt eū, ſed perpetrarunt in eo quæcunque voluerunt. Intellexerunt autem diſcipuli, inquit Euangeliſta, quòd de Ioanne Baptiſta dixiſſet ipſis. Præterea neque inſueta, neque inſolita res eſt, vt vnius nomen alteri imponatur, ob vitæ morumq; analogiam atque ſimilitudinem. Cùm igitur Eliæ Thesbitis, & Ioannis Baptiſtę tanta fuerit, non ſolùm morum ac vitę, ſed etiam officij ſimilitudo

Ioan. 1. & conuenientia, vt Iudæorum doctiſſimi

vnum

vnum vice alterius ſumerent, non abs re Vates noſter Baptiſtam Eliam vocat. Ambo in ratione victus & veſtitus parciſſimi & frugaliſſimi fuerũt. Ille pane duntaxat à coruis miniſtrato, & aqua ſola ex fonte lympidiſſimo hauſta, famem in deſertis depulſauit, & ſitim extinxit. Alter verò à teneris annis in deſerto agere cœpit, qui melle & locuſtis veſci aſſuetus, nec vinum, nec quicquam aliud quod homines ebrios ac temulentos reddere poſſit, vnquam attigit. Ille, dum ſuum ſeculum eſſet corruptiſſimum ac perditiſſimum, religionis neglectæ, violatæ & proditæ deffenſorem & protectorem inuictiſſimum (aliis ferè omnibus timidè tacentibus, & ignauè diſsimulantibus) conſtanter & liberè aduerſus ipſos etiam reges ſeſe exhibuit. Alter verò ſua turbulentiſsima tempeſtate, quando ſectis, bellis inteſtinis, & proditionibus arderent omnia, aduerſus falſos, nefarios & laruatos paſtores diſsidiorum & tumultuũ præcipuos authores, murum æneum ſeſe præſtitit, atque regis Herodis impudicas & inceſtuoſas nuptias publicè perpetuóque damnans & improbans coarguit. Hinc vtrumque tanta ac tali dicendi li-

bertate præditum mulieres Iezabel & Herodias maximo proſequutæ fuerunt odio. Quid vetat ergo vnũ ipſorum alterius nomen ſubire? nec obeſt, quod Iudæorum
Ioan. 1. legatis ſciſcitantibus à Ioanne, ſi ipſe Elias eſſet, aut quiſpiam ex Prophetis, reſponderit; ſe Eliam eſſe, quandoquidem ipſi Iudæi ſomniaſſent neſcio quam παλιγγενεσίαν atq; μετεμψύχωσιν Pythagoricam, & animarum in alia corpora tranſmigrationem, ſic vt de Elia Thesbite interrogarent. Quòd ſi literã adeò mordicus ipſi retineãt; ſciant Eliã etiam Thesbitem Chriſto Domino in glorioſiſsima ipſius transfiguratione, vnà cum Moſe in monte Thabor teſtimonium perhibuiſſe, quando illa vox paterna de cœlis
Math. 17. audita eſt; Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite. Nobis Dei mos venit obſeruãdus, qui homines quos omnes ſaluos eſſe vellet, antequàm in eos ipſos exequatur iudicia, ne videatur per illum ſtare, quominus ad meliorem frugem redeant, & ſic iram & vindictã effugiant, promouere ſolet. Quemadmodũ
Gene. 6. Noëmi temporibus factitatum, & etiã poſtremis temporibus faciundum legimus.
Apoc. 11. Nam Apocal. 11. legimus Ioanni præſigni-

ſicatum fuiſſe ab Angelo duos teſtes futuros, antequàm dies Domini magnus & terribilis veniet, qui diebus mille ducētis ſexaginta ſaccis amicti prophetabunt. Hi ſunt duæ illæ oleæ, & duo candelabra in cōſpectu Domini terræ poſita, qui à beſtia ex abyſſo aſcendente propter fidei teſtimoniū ſunt occidendi. His duobus ſacræ Scripturæ locis fulti veteris Eccleſiæ patres, permoti ſunt, vt crederēt Eliam cum Enocho venturum eſſe, antequàm Chriſtus in iudicium veniat. Hypolitus martyr in libro de Antichriſto, Auguſtin. de Ciuit. Dei, lib. 20. cap. 29. & tom. 9. in Apocal. hom. 10. atque Cyrillus lib. 1. cap. 24. in Ioan. ſunt huiuſce ſententiæ ac opinionis, quæ & ſi à Rabbinorum expoſitione non multùm diſcrepet, veritati tamen Catholicæ minimè officit, dummodo ſigna & prodigia, quæ tum à Chriſto, tum ab Apoſtolis nuntiata ſunt, torpētes nō neglexerimus, & ardentiſſime fidei prædicatores, quos Dominus Deus ſub his temporibus præſtiturus eſt, non cōtempſerimus. Sed quid dicturus ſit nouus Elias noſter paucis audiamus. *Conuertet corda patrum cum filiis, & corda filiorum cum patribus ſuis*, i. patrum animos ad filios, & filiorū

ad patres ſuos reducet, vt vnum idémque ſentiant. Veterum patrum, & filiorum, qui ipſis multò recentiores fuerunt, in religionis ratione conſenſum Baptiſta in Spiritu, & virtute nouus Elias, omnem hominum ætatem, gradum atque ordinē grauiſſimè conſtantiſſiméque docuit. At verò quis iſtorum nouorum, ne dicā ſpiritu Eliæ, ſed potius vertiginis, afflatorū temeritatem ac audaciam incredibilem ferret, qui neſcio quo reformationis prætextu varietatem, diſſentionem ac diſſidium à vera & veteri religione impudenter docent? Hiccine eſt ille nouus nouorum Eliarum ſpiritus, ſacrā Eccleſiæ vnionem turbare, ac miſeram diſſipationem inducere? Sed deſinamus obſecro illud mirari in hæreticis, quorum mos adeò inueteratus eſt, vt iam prorſus in eo ipſi occalluerint, ſemper veteris Eccleſię patres inſcitię, ſuperſtitionis & idololatrię inſimulādo. Taceo Manichęos illos ſua ſimulata abſtinētia toto terrarū orbe celebres, qui legis, Prophetarum, ſimul & omnium veteris Inſtrumenti Patrum facta illuſtria, & glorioſa non minus ſtolidè quàm infideliter condemnarunt. Sed in medium afferam Valentinianos, Marcioniſtas, Monta-

niſtas, & id genus peſtes & monſtra, quippe qui non ſolùm Apoſtolicos viros (qui cum Apoſtolis familiariter verſati fuerant, & ab ipſis viuæ vocis oraculo catholicam & orthodoxam doctrinã hauſerant) ſed & ipſos Apoſtolos ſtoliditatis & ignorantiæ accuſarunt, & ſcriptis eorum ſua ſomnia prætulerunt. Ab his enim antiquis hæreſiarchis huiuſce tempeſtatis infœliciſſimæ, omniũ hæreſeon inſtauratores, ne latum quidem vnguem diſcedũt. Nam communẽ omniũ veterum Patrum conſenſum atque cõcentum, tum in Scripturis interpretandis, tum in iis quæ ad diſciplinam, & politiã Eccleſiaſticam ſpectãt, peius cane & angue odio proſequuntur. Siccine, boni viri, cenſetis Eliam imitari? ipſe profectò tã patres quàm filios fidei vnitatem docuit, vt vnum & idẽ cùm Abrahamo, qui vidit diem Chriſti, & gauiſus eſt, ſentirent. At verò Manichæos, Valentinianos, & Mõtaniſtas hæretici noſtrates ſequuti, non ſolùm aliquorũ Apoſtolorum, vel Apoſtolicorum virorum ſcripta condemnant, ſed etiam totã ſimul Eccleſiam cum omnibus Patribus (quos deliros, ſuperſtitioſos & idololatras in ſuis cõuenticulis vocitare ad rauim vſq; non ceſ-

ſant) impiè ac ſceleratè criminantur. Ne ergò aliquis miretur terram ſimul omnem ad internecionem percuti, ac prorſus excindi, quandoquidem Chriſti tunicam ſic diuerſis & peregrinis doctrinis à ſacra ſcriptura & patrum conſenſu tam alienis, miſerè proſcindi videmus. Ipſius igitur Eccleſiæ à ſuis tam grauiter ac vehementer afflictæ, caput Chriſtum deprecemur ſuppliciter & demiſsè, vt nos ad vnionem illam veterem iam tandem reducere dignetur, cui laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

FINIS.

Errata ſic corrigito, prior numerus folium libri, ſecundus paginam, tertius pagina lineam ſignificat.

Folio i.pagin.2 lin.penultima.Quo loco. fo.2. pag.2.lin.20.à. fol.3.pa.1.li.7.interfectum. fol. 5.pag.2.lin.1, צְדָקָה & lin. 13. verò. fol.8.pag.1. lin.12.planè. fol. 11. pag. 1. lin. 8. dele fruſtrà.& lin. 15. progreſſus. fol. 17. pagin.1. lin. 1. neque. fol.20.pag.2.lin.1.iſti. fol.22.pag.2.li.10.ſcatet. fol.30.pag.1.lin.1. מִצְוָה. fol.35.pa.2.li.14.hilarem f.37.p.2.li.19.imperium in ſecula. fol.41. pa.2.li.1.efficient. fo.44.pa.2.li.19.aliis. fo.46 pag.1.lin.15.myſticus. fol.47.pag.2.lin.3.Quæ. Eadem pag.lin.17.numinis. fol.55.pag.2.lin.21. etiamſi. fol.6.pag.1.li.9.agitedum. fo.63.pa.1. lin.24.miniſterij. fol.75.pa.2.lin.3.altercationi. fol.76.pa.1.li.22.venabantur. fol.77.pag.2.lin. 5.adde,eſt.& lin.24. קָבַע. fol.78. pag.2. lin.22. Lex. fol.79. pagin. 2. lin. 1. Perſarum. fol.80. pag.1.lin.9.proprius. fol. 86. pagin.1. lin.1.ſenſerint. fol. 89. pagin.1. lin.8. animum. fol.90. pag.1.lin.8.vindicaturus. fol.91.pag.2.lin.vlt.in alis. fol.92.pag.2.lin.16.ingens. fol.93. pag. 2. lin.2.optaremus. fol.96pa.1.lin.8. dicuntur. & lin. vlt. excuſſiſſent.